DE EO, QVOD CIRCA EQVOS PVBLICE PRIVATIMQVE IVSTVM EST

Vom Pferde-Recht. Insonderheit aber von Ritter- und Post-Pferden.

DISPVTABVNT
PRAESES
MAGNIFICVS t. t. ACADEMIAE IENENSIS
RECTOR
IOHANNES VOLKMARVS
Bechmann,
HEREDITARIVS IN Obern-Tröbra, JCTVS ET ANTECESSOR CELEBERRIMVS, CONSILIARIVS SAXONICVS, CVRIAE PROVINCIALIS, SCABINATVS AC FACVLTATIS JVRIDICAE ASSESSOR GRAVISSIMVS

ET RESPONDENS
GEORGIVS IACOBVS Hackher,
Eques Austriacus.

WITTEBERGAE,
APVD EPHR. GOTTLOB EICHSFELDIVM. A. 1733.

DE EO, QVOD CIRCA EQVOS PVBLICE PRIVATIMQVE IVSTVM EST

Vom Pferde-Recht. Insonderheit aber von Ritter- und Post-Pferden.

DISPVTABVNT
PRAESES
MAGNIFICVS t. t. ACADEMIAE IENENSIS
RECTOR
IOHANNES VOLKMARVS
Bechmann,
HEREDITARIVS IN Obern-Tröbra, JCTVS ET ANTECESSOR CELEBERRIMVS, CONSILIARIVS SAXONICVS, CVRIAE PROVINCIALIS, SCABINATVS AC FACVLTATIS JVRIDICAE ASSESSOR GRAVISSIMVS
ET RESPONDENS
GEORGIVS IACOBVS Hackher,
Eques Austriacus.

WITTEBERGAE,
APVD EPHR. GOTTLOB EICHSFELDIVM. A. 1733.

DE EO, QVOD CIRCA EQVOS PVBLICE PRIVATIMQVE IVSTVM EST

Vom Pferde-Recht. Insonderheit aber von Ritter- und Post-Pferden.

DISPVTABVNT

PRAESES

MAGNIFICVS t. t. ACADEMIAE IENENSIS

RECTOR

IOHANNES VOLKMARVS

Bechmann,

HEREDITARIVS IN Obern-Trôbra, JCTVS ET ANTECESSOR CELEBERRIMVS, CONSILIARIVS SAXONICVS, CVRIAE PROVINCIALIS, SCABINATVS AC FACVLTATIS JVRIDICAE ASSESSOR GRAVISSIMVS

ET RESPONDENS

GEORGIVS IACOBVS Hackher,

Eques Austriacus.

WITTEBERGAE,

APVD EPHR. GOTTLOB EICHSFELDIVM. A. 1733.

DE EO, QVOD
CIRCA EQVOS
PVBLICE PRIVATIMQVE IVSTVM EST

Vom Pferde-Recht.
Insonderheit aber von Ritter- und Post-Pferden.

DISPVTABVNT
PRAESES
MAGNIFICVS t. t. ACADEMIAE IENENSIS
RECTOR
IOHANNES VOLKMARVS
Bechmann,
HEREDITARIVS IN Obern-Tröbra, JCTVS ET ANTECESSOR CELEBERRIMVS, CONSILIARIVS SAXONICVS, CVRIAE PROVINCIALIS, SCABINATVS AC FACVLTATIS JVRIDICAE ASSESSOR GRAVISSIMVS
ET RESPONDENS
GEORGIVS IACOBVS Hackher,
Eques Auſtriacus.

WITTEBERGAE,
APVD EPHR. GOTTLOB EICHSFELDIVM. A. 1733.



I. N. J. C.

DE

EO, QUOD CIRCA EQUOS PUBLICE PRIVATIMQUE JUSTUM EST,

EXERCITATIO ACADEMICA.

CAPUT I.

DE

EQUIS MILITARIBUS.



Uoniam in ſolenni Academiarum more poſitum eſt, ut magnis MÆCENATIBVS ſtudia ſua approbaturi, publico ſpecimine profectuum ex umbra in apricum ac ſolem prodeant: ego quoque obſequar ſuadentium voluntati, & ſuppeditatam induſtriæ atque ingenii exercendi materiam de EO, QUOD CIRCA EQUOS, tum in negotiis publicis, tum inter privatos JUSTUM EST, pro virili elaborabo: non ut ipſe aliquid novi proferam in medium, aut paſſim ab eruditis & ſolide pertractata, meliora concinnem; ſed ut congeſtis in compendium, quæ hinc inde qua Jus publicum & privatum diſperſa, memorem me Mutianæ caſtigationis oſtendam: turpe nimirum eſſe viro patricio & nobili, jus, in quo verſaretur, ignorare. Ne vero in immenſum ex- *Ratio inſtituti.*

 creſcat

crescat labor, aut etiam prorsus alienis lector fatigetur, potiora tantum & ad *Prudentiam Juris* spectatura in medium producam, omissis aut delibatis breviter, quæ ad vitam civilem, eoque & mihi necessaria haud sunt, atque in ostentationem & applausum Cathedræ magis discuntur. Spero autem, si non laudem, certe veniam ætati huic paratam fore, si qualiscunque labor noster a debita perfectione longius aberit, & nec votis meis, nec expectationi eruditorum respondebit. Divinum Numen adsit clementer infirmis conatibus, & tam felices successus in æterni nominis sui gloriam commodet, quam pio animo, nulloque juvenili impetu; sed urgente studiorum fortunæque meæ spe atque ratione, manum calamo jam admoveo.

II. Considerationis igitur nostræ exordium faciamus ab *usu militari* Equorum, & quidnam circa hos civili jure constitutum. *Divisio militiæ.* Summa militiæ divisio est *in Pedestrem & Equestrem*: quarum singulæ ita comparatæ, ut neutra carere Respubl. sine insigni jactura possit. Præcipua vero *equitatus* æstimatio apud prudentes populos fuit; sive deducere aciem in apertum campum, sive subitis casibus occurrere, magna necessitas ac ratio juberet. *Equitatus inter characteres potentiæ est.* Hinc in characteribus potentiæ civitatum non minimi momenti ille judicatur, si utili equitatu, & magnis hostibus vel ausis pari, instructæ sint munitæque. *Apud quosnam Equestris militia prævaleat.* Speciatim quoque nomine hoc commendantur *Poloni, Tartari, Moscbi, Persæ, Turcæ:* ita tamen, ut comparati invicem multum sint dispares, neque præstantia & numerus perinde sibi respondeant. *Persarum,* Sane quidem ut Persarum Sophus, quantumvis præstantissimo equitatu gaudeat, Turcis non facile movere bellum velit, præterquam quod inutili peditatu utitur, paucitati equitum haud vane imputatur.

Turcis

Turcis enim, qui ſolis armis & militari virtute in tot re- *Turcarum;*
gnorum exitia evaluere, plurima in equeſtri militia vis, ut peditatum nullo modo, quantum ad ſummam belli, comparaveris. Centum ac quadraginta equitum, quos *Spahos* ſive *Timariotas* vocant, millia perpetuo alit ille rerum humanarum ac divinarum prædo: quorum LXXX cIↃ quaſi in hibernis, Europæ finibus incumbunt, LX cIↃ in Aſia continentur. Quanquam in numero non conveniunt, qui talia monumentis ſuis inſeruere. (a)

III. Germaniæ populis, cum adhuc priſcis tem- *Germanorum,*
poribus inculti rudesque armorum, ſola fortitudinis fama noſcerentur, minor circa equitatum ſollicitudo fuit: Panegyriſta ipſorum *Tacito* (b) teſtante, *in univerſum æſtimante, plus penes peditem roboris* videri: *eoque mixtos prœliari, apta & congruente ad equeſtrem pugnam velocitate peditum.* Poſtquam vero toties collatis cum prudentiſſimo populo viribus bellare didicerant, & Oſtrogothi ac Longobardi invaſerant Italiam, etiam hac parte non minores fuere. Certe conſtituendi in Italia regni unicum pæne fulcrum erat alendi equitatus cura. Traductis ex Hungaria in Italiam gregibus præſtantiſſimorum equorum, fœcundo proventu equos habebant: quorum præſtantia, celeritate, copia, plus expeditionum annuo ſpatio conficiebant, quam ut fieri poſſe crederetur. Memorabiles hinc *Aquilienſes*, ſive *Forolivienſes* ſaltus, in quibus tota equarum armenta hanc in rem ſuſtentabantur. (c)

IV. Romanos etiam, ut admirandam potentiæ ſuæ magnitudinem armis debuere, ita equeſtris militiæ cumprimis ſtudioſos novimus. Neque promiſcue quivis le-

(*a*) *Vid. Bœcl. Diſſert. Acad. 7. de Potent. civitat. p. 365. & 377. Furſtner. ad Tacit. 4. Annal. p. m. 557. Klock. de Ærario l. 5. 27. & ſeqq.*
(*b*) *c. 6. de Mor. Germ.* (*c*) *vid. Camerar. Hor. ſubciſiv.* 249.

Romanorum Equitatus.

gionariæ; id est, pedestri militiæ aptus, ad equestrem admittebatur. Satis hoc docemur ex L. II. Cod. Theod. *de filiis militarium apparit. & veteran.* Deinde major quoque erat ἱππέων δοκιμασία præ pedestribus. Exemplo Atticorum, a quibus docente *Samuele Petito* ad Leges Atticas diserte cautum: ἱππέας καθιστάναι τοὺς δυνατώτους καὶ χρήμασι καὶ σώμασιν. (d)

V. Hæc vero tam necessaria & utilis militia, ut sine insigniore ærarii ac civium detrimento comparetur, magna profecto prudentia opus est. Milites ipsi quidem paribus cum pedestri exercitu consiliis ac viis vel conscribentur vel sustentabuntur. Et satis hac parte provisum Romanis erat, qui nullo externo utebantur milite; sed populo in *tribus*, *colonias*, *socios* transscripto, ex triplici hoc fonte deducebant validissima copiarum flumina, quæ orbem terrarum inundabant. Qua in re quantum a saluberrimo Romanorum instituto seculum nostrum plerumque divertat, non electo milite, non belli ac munerum militarium gnaro; sed fæce hominum, & purgamentis civitatum adversus hostes ire consuetum, a prudentibus dudum notatum est. (e) Altera jam & peculiaris adhiberi circumspectio debet de equorum paratu facili ac cura.

Romani publico ære militares equos comparabant.

Primo igitur Romani publico sumtu eos parabant. Quod apud *Livium* primo Historiarum (f) videre est. *Ita*, ait, *pedestri exercitu ornato distributoque, equitum ex primoribus ciuitatis duodecim scripsit centurias. Sex item alias centurias, tribus ab Romulo institutis, sub iisdem, quibus inauguratæ erant, nominibus fecit. Ad equos emendos dena millia æris* ex publico *data: & quibus equos*

Onus alendi

alerent, viduæ attributæ, quæ bina millia æris in annos singu-

los

(*d*) *Petit. p.* 550. & 552. *Gothofred. ad l.* 2. *C. Th. de fil. mil. app.* (*e*) *vid. Forstner. ad* 4. *Annal. Tacit. p.* 549. (*f*) *c.* 43.

injungebant divitibus viduis.

los penderent. Hæc omnia in dites a pauperibus inclinata onera. In hoc Romanorum instituto id primum laude ferri meretur, quod sine civium grauiore incommodo militiam equestrem instruxerint; aliter quam nostris moribus fieri solet. Nec minore æquitate prorsusque imitando exemplo a pauperibus in divites; & inter hos in viduas cumprimis, quæ scilicet liberos nullos hæredes habebant (nam in liberorum fraudem non crediderim quicquam admissum) onus alendi equos inclinatum fuit. Quid enim his facilius, quam ut ex superfluis opibus delibari quædam in publicum bonum patiantur? quam ut hac saltem ratione, cum aliter nequeant, bene mereantur de Patria?

Sub Imperatoribus, Collatio equorum usitata.

VI. Hoc vero a Servio Rege, adolescente adhuc Republica, constitutum. Sub Imperatoribus singulari provisu militarium equorum copia parata fuit per *Oblationem* sive *Collationem equorum:* de qua in *C. Th.* integri tituli. *Quo enim promptius instrueretur armorum usus*, (g) introductum est, ut exigente rerum necessitate, equi extra ordinem conferrentur. Ad quam collationem non promiscue omnes Imperio Romano subjecti adstringebantur; sed exceptæ erant *dignitates*, *illustres*, *spectabiles*, *clarissimi:* ut etiam deposita dignitate immunitatem Honorius Imperator competere voluerit in *l. un. C. Th. Qui a præbitione tironum & equorum excusentur.* Requirebatur vero, ut actu gererent dignitates, aut gessissent, quales Græci ἐμπράκτους vocabant. Primum itaque tenebantur *Honorarii* (ita enim Antiquitas appellabat) qui *fasces civilium partium* (dignitatum) *consequuti, tametsi nulla prius laboribus rudimenta posuissent:* (h) sive, qui Honorarios

Conferebant Honorarii, qui Codicillos imaginari.

(*g*) *l. un. C. Tb. de Oblat. equorum.* (*h*) *l. un. C. Tb. qui a præbit. tiron.*

et impetrarant. norarios & imaginarios tantum codicillos ſeu adminiſtrationes conſecuti fuerant. Illi Honorarii Codicilli erant epiſtolæ honorariæ ac teſtimoniales, quæ vel contemplatione meritorum, & perfuncta adminiſtratione impetrabantur, vel conferebant dignitates tum militares, tum civiles, ſuffragiis aut qualibet ambitione, quin ante Conſtantium pecunia quoque impetratas, etiamſi quis caſtrorum expers, nunquam intra palatium verſatus aut adminiſtrationibus functus fuiſſet. (i) Hos Codicillos vocabant *imaginarios.* Quos qui conſequuti fuerant, illi hoc onere gravabantur. Et merito. Quandoquidem enim multis gaudebant privilegiis, æquum ex adverſo erat, ut pro neceſſitate rerum paterentur ſibi quædam injungi. Cum autem iis animi dotibus inſtructi haud eſſent, ut conſilio operaque Reipubl. prodeſſe vel poſſent, vel etiam vellent, aliud conferendum erat in publicum, quo ipſi præſtabant cæteris. Præſtabant vero divitiis ac opibus: nam hi ſolent dignitates non promeritas ambitione & largitionibus eblandiri, ut licet non virtute, tamen honoris gradu vulgo eximantur. Quod hodieque non ſine ærarii in uſus publicos augmento imitari ſummis poteſtatibus licet. Nec enim non iſto ſeculo repeNone riuntur multi ignavi & otioſi homines, ſola auri poſſeſſione aliis potiores: qui, ut virtutis cenſeantur merito, præmia virtutum grandesque titulos pretio vel gratia ſingulari emunt. His ergo imponantur pari inſtituto certæ tributiones ac onera: hac tamen cautione, ut ne ad locupletandum Principis ærarium deſtinata, præpotentium in aula luxui & avaritiæ ſolummodo ſerviant.

Ratio & ἐπίκρισις politica.

VII. Præſtatio autem Honorariorum pro Codicillorum

(i) *vid. Gothofred. in paratit. ad tit. de Honorar. Codicill.*

lorum diversitate varia erat. Nam Comitis Codicillos accipiens, ob Comitivæ dignitatis prærogativam, tres equos; Præsidis vero dignitate ac titulis honoratus, duos *protinus* offerre debebat. Quæ oblatio cum extraordinaria esset, ac *sæpius* pro rerum necessitate ab Honoratis exigeretur, magna ipsorum jactura: Valentinianus senior singularis clementiæ specie, utque Honorarios invitaret ad celeriorem collationem, statim post impetratos codicillos; legem unicam *C. Th. de oblat. Equor.* sanxit. In ea constituit, ut collatio deinceps ordinaria & lustralis esset; hoc est, ut *quinto quoque anno, & magis aliquando*, sive interdum, *quam sæpe similis recurreret exactio.*(k) Cæterum non plane ab extraordinaria collatione liberi erant. Nam Constitutio de oblatione equorum publicata est anno 369. & post illam, anno 382. M. Decembri propter Illyricianæ expeditionis necessitatem equi extra ordinem exacti. Probatur hoc *l. 3. C. Th. de Proximis comit. dispositione. cæterisque qui in sacr. scriniis milit.* in qua Valentinianus Junior Scriniariis immunitatem tribuit ab extraordinaria collatione *ad militare subsidium equorum*, neque ipsos perinde vult teneri, atque Honorarios, qui *proxime venire;* id est, conferre jussi erant. (l)

Quotnam equi præstari soliti.

Collatio hæc extraordinaria in lustralem mutata.

Adhuc tamen aliquando extra ordinem Honorati tenebantur.

VIII. Præter Honoratos etiam Provinciales tributi nomine equos conferebant. Ut vero usitatum erat a Provinciis ea exigi, quorum quæque ferax inveniebatur: ita potissimum illis Provinciis equi imperabantur, in quibus præstantissimorum equorum & equarum copia. Hinc equorum tributum & collatio ex Epiro exacta: cujus equi a Virgilio in primo Georgicorum, Sidonio VI. carminum, Claudiano in laudibus Serenæ, & aliis laudantur.

Conferebant Provinciales, apud quos præstantium equorum copia.

B

(k) *vid. Goth. ad d. l. qui pro* magis *legit* jugis. (l) *vid. Gothofred. ad d. l.*

tur. (m) Ad eundem modum a Corsis *ceram*, a Frisiis *coria boum*, a Siculis *frumentum*, Romani sumebant: quod talia iis locis parabiliora, nec ita magno pretio haberentur. Quod consilium non potest non valde commendari: quum neque Provincialibus intolerabile esset hoc onus; & Reipublicæ necessitati istis rebus facilius prospiceretur. In locum equorum postea æstimatio successit, & *equi adærari*, sive solidi certi pro illis exigi cœpere. Præstabantur autem pro singulis equis *viceni terni solidi*, ex constitutione Valentis Imperatoris *l. 1. C. Th. de equor. conlat.* Idem pretium ab Honorio deinceps temperatum, & pro varietate locorum etiam præstatio variata fuit: prout aut locuples Provincia, aut sane prout præstantes equi. Quo de conferatur *l. 3. C. Th. de equor. conlat. & comment. Gothofred.* Instituti hujus rationem Valens Imperator indicata *l. 1.* hanc reddit: *Ne fraude Procuratorum* Principalium *equi* debiles & inepti a collatoribus *offerentur.* Alia a Gothofredo adnotatur. Ne scilicet militiæ obtentu abductis sæpius equis a miseris agricolis & colonis agriculturæ fraus fieret. Affert Themistii testimonium, qui biennio post oratione X. ad Valentem (n) hoc nomine eum commendat, inprimis quod agricolas & colonos tributorum fasce levare studuerit. Addatur *l. 10. C. Th. de jure fisci.* Sed utraque ratio color mihi potius exactionis, quam vera ratio videtur. Nam Procuratorum fraudibus quidem satis per Stratores (de quibus infra) obviam ibatur. Nec erat, cur agriculturæ metueretur: quoniam præstantiores tantum equi & bellicis usibus apti, non vero agriculturæ sufficientes; id est, qualescunque exigebantur. Retinebant ergo agricolæ & coloni, quantum ad culturam ægrorum necessarium erat,

Deinde æstimatio exigi cœpit.

Cujus rationes duæ.

Rejiciuntur, & vera exponitur.

(m) *vid. l. un. C. Th. de Strator. ibique Goth.* (n) *pag.* 224. & 243.

erat. Verior autem hujus consilii ratio ista est, ut levarent provincias boni (o) Principes, cæteri avaritiam suam explerent, & per æstimationem multo plus, quam ipsa equorum præstatione consequerentur. Nam contributa sic pecunia non equis emendis destinabatur; sed ex viginti solidis illis, quos Honorius Imperator pro singulis equis imperaverat, septem tantum militibus ministrabantur ad comparandos equos. Testatur hoc *l. 2. & 3. C. Th. de equor. collat.* Reliquam igitur pecuniam (exceptis duobus solidis, qui pro *Canonicis* equis sportularum nomine comitibus stabuli tribuebantur) Principes in arbitrarios usus convertere poterant, longe aliter atque si præstiti equi fuissent, quorum adeo magna copia sæpe nihil opus.

IX. Attendentibus igitur ad mores multorum Principum Romanorum, maxime hæc æstimationis exactio inventa videbitur ad exsugendos Provinciales, in quos nihil non sibi avaritia Imperatorum licere arbitrabatur. (p) Testatur sane Mammertinus in gratiarum actione pro Consulatu, Dalmatas, Epirotas, *enormibus equorum pretiis*, & intolerandi hujus tributi mole ad incitas depressos fuisse. *Avaritia Principum Romanorum.* Quam vero parum ea re Imperatores sibi consulerint, ipsa experientia docuit. Frisii pacem exuere, avaritiæ magis Romanorum, quam obsequii impatientes. Cum enim a Druso modicum tributum pro rerum angustia iis jussum fuisset, ut in usus militares coria boum penderent, non intenta cujusquam cura, quæ firmitudo, quæ mensura esset: Olennius deinceps regendis Frisiis impositus, terga urorum deligebat, quorum ad formam accipe- *Ipsis periculosa.*

(o) *Sic hodie commodo subdit. introducta adæratio, qua certum pretium aut canon Princip. aut Domin. confertur. Hinc adæratio angar.* Frohn-Gelder; *servit. Feudal.* Präsent-Gelder der Ritter-Pferde. (p) *vid. Guth. de off. Aug. Dom. 3, 17.*

perentur. Quod apud Germanos difficillime toleratum, quibus ingentium ferarum feraces ſaltus, modica domi armenta erant, ut tandem, poſtquam non ſubveniebatur, remedium ex bello quæreretur. Quod Tacitus IV. Annalium (q) tradidit. Sub Valentiniani Imperio multiplicatis per Pannonias vectigalium augmentis, Optimates ultimorum metu exagitati mutare ſedes, & trans mare abire compellebantur. Quos igitur redigere ſub jugum cupiebant, & premere tributorum oneribus, ne forte receptis animis imperio Romano ſemet ſubducerent, horum defectionem & jacturam maxime arceſſebant. Pulcherrima ſunt *Forſtneri* verba ad IV. Annal. Taciti: (r) *Paupertas & egeſtatis faſtidium non objectos homines facit, & injuriarum patientes; ſed quia afflicta ipſorum fides eſt in pace, & unica ſpes in turbatis rebus, novarum rerum extreme cupidos: ut nihil ſit tam difficile, tamque anceps, quod illi non audeant. Semper compertum eſt, egentiſſimum quemque eſſe audaciſſimum; & non raro in deſperationem abire paupertatem.* Hæc in ſequentibus magna exemplorum copia probat. Quibus ex cauſis etiam in Romanis Imperatoribus prudentiores ſub ingreſſu regiminis *quædam ex tributis imminuebant, quo mitius Romanorum Imperium ſperaretur.* (s) Auſonius *Gratianum* Imperatorem ob relaxationem tributorum, (t) & Mammertinus *Julianum* ob remiſſa equorum pretia laudant. Nec dubito, quin Auſonius *Honoratos* quoque collationibus levatos fuiſſe his verbis indicaverit: *Magnificum largiri honores. Tu Honoratos & liberalitate ditaſti.*

Nimium preſſi & expilati ad ſeditionem proni.

X. Hactenus de Romanis locuti ſumus, quibus modis militares equos in promptu ſemper habuerint. Noſtris moribus non tam publico, quam ex civium tributionibus

Hodiernus uſus.

(q) 6. 72. (r) *ad cap.* 72. (s) *vid. Tacit. Annal.* 2. 56. 4. (t) *In gratiar. act. pro Conſulatu.*

nibus coacto ære a certis hominibus, aut præbita militibus pecunia coëmuntur. De cujus instituti abusu in promtu sunt judicia prudentum, & videri potest Forstn. ad VI. Annal. Taciti, statim initio. Quantam vero sollicitudinem Romani in comparandis equis, tantam in eorum delectu adhibebant, ne ad bellicos usus inepti essent. In Provincias eo nomine *Stratores* mittebantur, utque *in offerendis equis certam formam, staturam, ætatem* Provinciales *custodienda esse cognoscerent.* (*u*) Stratorum autem, de quibus hoc loco agitur, cura circa equos & conscensuros in equum versabatur. In vulgus appellabantur hoc nomine, qui stratum equi componebant, qui dominum in equum sublevabant, dextra illi substrata subjectave; qui ad frena quoque currebant, vel etiam capistro seu fræno, ubi opus, equum domini ducebant. (x) His Stratoribus, in Palatinis castris; id est, in Palatio Principis inter ministerianos ejus militantibus (quo sensu ab Ammiano Marcellino *milites stratores* dicuntur) solidus conferebatur *probæ* nomine, sive pro probatione. Amplius exigi quicquam aut dari vetabatur. Severe enim indicata lex unica *C. Th. & Justin. de Strat.* propter concussiones Stratorum constituit, ut non minus puniri debeat, qui plus solido solvit, quam qui illicite exigit. Adeoque ne de suo quidem licebat liberalem esse. Verba legis *in C. Th.* sic leguntur; *Quos* (Provinciales) *etiam Fisco certo solidorum modo obnoxios fecimus, si, quod Stratores petere nunquam metuunt, illi dare Stratoribus non timerent.* Similem in modum Athenis quoque probatio equorum usurpabatur in equitum δοκιμασίαις, invalidis nota

Delectus equorum. Stratores.

Probæ nomine solidus solvebatur.

δοκιμασία equorum apud Athenienses.

(*u*) *vid. l. un. C. Th. de Strator.* (*x*) *vid. Goth. ad l. un. de Strat. ubi etiam plura genera recenset.*

nota certa, quæ τρυσίππειον dicebatur, inusta. (y) Idem hodieque diligenter observandum est omnibus, qui accepta pecunia publica ad parandum equitatum sunt destinati. Quorum damno stare merito debet, si ineptos & imbelles equos coëmerint. Neque sufficiet, si certa pecuniæ summa ad singulos equos destinata est, minore pretio quantumvis idoneum comparasse: nisi melior haberi non potuerit. Utrum autem perinde, atque apud Romanos, generosorum & fortium equorum copia hoc modi haberi queat, raptis sæpe tumultuarie, ut militibus, ita equis ad bellum; non difficile erit judicatu. Jure militari Danico *art. 15.* cavetur: **Ein Curassierer soll mit einem guten starcken Pferde, 16 Palmen hoch, versehen seyn.** Commissariis quoque imponi solet, ut in lustratione exercitus adhibeant curam, ne miles, ne equus necessariis subsidiis ac bellicis instrumentis non instructus, admittatur. (z) Ad equos autem referri debent, quantumvis non expressa, quibuscunque hodie ad militares usus instruuntur, ephippia, fræna, sclopi minores, & quæ sunt hujus generis. Ferrea vel lintea operimenta, ferreis laminis consita, & in modum plumæ adnexa, (ita describit Sallustius) quibus Cataphracti equi muniebantur, nostris moribus non solent adhiberi. Neque amplius nostrorum temporum consuetudo probat, ut equites ipsi totum corpus ferro includant. (a) Quam inutilis gravis hæc armatura olim fuerit, collectis diligenter exemplis docuit *Forstner.*

Apud nos.

Equorum Cataphractorum hodie nullus usus.

(y) *v. Samuel. Petit. ad Leges Atticas p. 550. 551. Gothof. ad d. l. un. de Strator.* (z) *vid.* Käyserl. Muster-*Instruction* bey der Käyserl *Union-Armada de ann. 1626. art. 31. & 32. Joach. Burger. Observat. milit. 1, 52.* (a) *vid Boecl. Dissert. Acad. 7. de potent. civit. p. 368. & de equis Cataphractis. Guther. de off. Aug. Dom. 3, 12. Martini Lex. Philolog. in voce Cataphract.*

Forſtner. ad 1. Annal. Taciti. (b) Inventis tormentis longe majore incommodo in aciem produceretur.

XI. In equeſtri Romanorum militia prudenter etiam primis temporibus inductum erat, ut publico ære coëmti equi civibus, qui propter ætatis & corporis robur cenſi; id eſt, ferendis armis habiles, eoque ad militiam deſtinati erant, adſignarentur. Ab his autem etiam invitis (quoties publice dabat Cenſor) recipiendi equi, & diligentiſſime ali debebant. Quo ipſo mature adſueſcebant cives tractare equos, & quovis tempore promtam operam Reipublicæ exhibere poterant. *Romani equos militibus aſſignabant.* In curationem inquirebant *Cenſores*, & ſegnes ſuique officii negligentes ob male curatum equum impolitiæ notabant, palam ademto equo. Teſtatur hoc Gellius. *Si quis*, inquit, *eques Romanus equum habere gracilentum aut parum nitidum viſus erat*, impolitiæ *notabatur. Id verbum ſignificat, quaſi tu dicas* incuriæ: *cujus rei auctoritates ſunt: & M. Cato ſæpenumero atteſtatus eſt.* (c) Hodie quoque Magiſtris equitum id muneris incumbit, ut, qua cura equi habeantur atque alantur, acriter inquirant. *Cenſores inquirebant in curam.*

XII. Quantum ad alimenta ipſa, jam ſupra ex Livio oſtendimus, ſub imperio Servii, collatione ac impenſis viduarum, ea ſuppeditata fuiſſe. In Provinciis a Provincialibus annona præbebatur, tam equis quam militibus. *Annona militaris.* De hujus militaris annonæ erogatione extant ſingulares tituli in Codice Theodoſiano atque Juſtiniano. Et in Oriente quidem ſancitum erat, ut ne annonæ ſpecies in pretio a Provincialibus ſolverentur: in Occidente vero per Valentinianum Imperatorem id permiſſum. Quod deinde Honorius quoque conceſſit, ſingulari tamen

(b) *p. m.* 61. *& ſeqq.* (c) *Gell. Noct. Attic.* 4, 12, *Alexand. ab Alex. Genial. dier.* 3, 13.

men cautione, de qua in *l. 22. C. Th. de erogatione militaris annonæ.* De fœno peculiariter mandatum fuit, ut in ſpecie præberetur, milites autem ipſi peterent, convectarent, deferrent, neque Provinciales cogi poſſent, fœnum ad oppidum deferre. Conſtitutio habetur in *l. 23. C. Th. de erogat. milit. annonæ. & l. 8. C. Juſtin. eod. tit.* Spatium, intra quod petendum erat, definitur in *l. 7. & 9. C. Th. & l. 2. C. Juſtin. d. t.* Nempe non amplius quam e viceſimo lapide convectare ſibi paleas, & *capitum;* id eſt, pabulum jumentorum ſive animalium, petere milites tenebantur. (d) Ratio autem, cur fœnum in ſpecie præbendum eſſet, hæc videtur: quod *capitum*, ſeu fœnum, non perinde corrumpitur, atque cæteræ annonariæ ſpecies, quæ facile ex ſitu vitium contrahunt. Ne vero Provinciales militibus corruptas ſpecies obtruderent, pretium poterat exigi. Equitibus jam qua victum & annonam ſatis proſpectum. Habitationis cauſa itidem introductum fuit onus hoſpitii, quod munus patrimoniale erat. (e) Dominus vero nihil præſtare debebat, præterquam habitationem & ſtabulum. Quod ſi ſtabula deficerent in domo, & hoſpes equeſtris dignitatis eſſet, etiam pars altera ergaſteriorum, quæ alias in favorem mercimonii extra diviſionis partes libera dominis erant, ſtabulo deputabatur. Quo de in *l. 2. C. de metatis.* Primum igitur a Domino non *animalium paſcua*, non hominum eſcæ exigi poterant: quoniam eum in finem ſtipendia & annonas milites accipiebant, ne Provinciales onerarent. Adeantur *l. 5. C. de metat. & l. 3. C. de erogat. milit. annonæ.* Hinc a Conſtantio, Theodoſio M. Theodoſio juniore prohibitum, ne milites (quod malo more faciebant) *Salga-*

Fœnum, Capitum in ſpecie præbendum.

Onus Hoſpitii. Stabulum.

(*d*) *v. Gothofr. ad dict. leg.* (*e*) *v. l. 3. C. de muner. patrimonial.*

Pascua animalium, Salgamum ab onere hospitii excepta.

Salgamum; id eſt, res neceſſarias hominum vel *animalium* paſtui, (f) a dominis poſtularent. Quod ſi ſpontanea humanitate hoſpiti præbebatur, impune erat *per legem 1. & 2. C. Th. de Salgamo hoſpitibus non præbendo.* Verum deinde id prohibitum *l. 10. C. Th. & l. 5. C. Juſtin. de metat. l. un. C. Juſtin. de Salg. hoſp. non præſtando.* Quæ *in tantum inbiberi* volunt *ſceleratum*, uti Honorius appellat, *morem, ut ipſis quoque præbentibus impunitum eſſe Imperator non patiatur, ſi quid vel ſponte contra præceptum* ſuum, *probati fuerint obtuliſſe.* Porro etiam a paſcuis miles arcebatur. Paſcua erant vel rei privatæ, ſive ex rebus privatis Principis, in quibus animalia Principis paſcebantur: vel publica & Civitatum, vel privatorum ſive Provincialium, Poſſeſſorum & Colonorum. (g) Tam autem a publicis quam privatorum pratis Arcadii Conſtitutione milites ſub ſeveriſſima pœna prohibentur *in l. 3. C. Th. l. 2. C. Juſtin. de paſcuis.* Occaſionem huic Conſtitutioni dederat laſcivia militum, qui tum temporis circa Antiochiam conſiſtebant, & de quibus querelæ ad Arcadium perlatæ fuerant, forte a Curialibus Antiochenis. *Ita tamen* ſubvenit Imperator conquerentibus, *ut ſine læſione Provincialium* interim *provideant Curiales, quo pacto animalium militarium paſtui* aliunde *conſulatur.* (h) Speciatim de privatorum privatis agunt *lex 4. & 5. C. Th. & l. ult. C. Juſtin. de paſcuis.* Undique vero luculenter eluceſcit, Imperatores illius ævi ſerio militum effrænem licentiam atque libidinem coërcere, & Provinciales hactenus ab injuriis defenſos voluiſſe. Enimvero optan-

Prata ſeu paſcua diſtinguuntur. In neutra jus militi.

(f) *v. Gothofred. ad l. 3. C. Th. de Salg. hoſp. non præb. & C. A. ad tit. de re milit. th. 10.* (g) *v. tit. C. Th. de paſcuis.* (h) *de varia lect. l. 3. C. Th. de paſcuis, & de pratis Apamenis v. Gothofred. Comment.*

dum esset, ut hac etiam parte seculum nostrum Romanas leges suas faceret, & pulcherrima imitatione in usum ubique deduceret. Sed audiamus *Forstnerum* ad 4. Annal. Taciti: *Inde quoque*, ait, *magna cum militiæ nostræ infamia, qua amici ac hostes pari discrimine habentur, orta consuetudo, singulis civium ædibus unum aut plures imponere, quos illi cibo, potu, lecto, nocturno lumine, & pro jumentis fæno, stramine, interdum & avena sine pretio instruant. Quem morem in Italiam ex Gallia translatum Ludovici XII. temporibus Guicciardinus l. 4. & 10. tradit.* His adjungantur, quæ indicato loco plura & liberrimo stylo persequitur. (i) De menstruo stipendio, respectu singulorum equorum solvendo agit Recessus Imperii de anno 1500. §. 63. & Reiterbestallung zu Speyer de anno 1570. §. 2. & 6.

Quomodo hodie sustententur equi militares.

XIII. Adsignatus jam equus nequit alios ad usus, quam equestres & bellicos, adhiberi, ne debilior fortassis, & ad equestrem militiam ineptus, reddatur. Multo minus privatorum utilitatibus eum servire leges patiuntur. (k) In Constitutione Imperii Käyserl. Reiterbestallung de anno 1570. *art. 12.* ita dispositum est: Es soll keiner ein gemustert und gut gethan reisig Pferdt oder Troß-Klepper in Wagen spannen, anders denn in Nothfällen, und mit Vorwissen und Erlaubniß seines Rittmeisters, welche ihm auch ohne erhebliche Ursachen nicht soll gegeben werden. Consentiunt cum his jus militare Polonicum *art. 23.* & Danicum *art. 44.* Speciatim Valentinianus senior *l. 9. C. Th. de re militari*, vetuit, ne *Regalibus* eorumque *Legatis* ad Comitatum Imperatoris proficiscentibus milites jumenta sua suppeditent. Regales isti, docente *Gotho-*

Equus militaris ad equestres & bellicos usus tantum adhibendus.

Regalibus olim, eorumque Legatis non debebat commodari.

(*i*) *Confer Burg. observat. militar.* 2. 72. (*k*) *arg l.* 12. *§.* 1. *ff. l.* 13. & 15. *C. de re milit.*

Gothofredo, erant Francorum & Alemannorum Regiæ ſtirpis Principes, filii Agnati, Regali ſtirpe orti. Agitur vero ibi de milite limitaneo ad Rhenum conſtituto, & prudenter cavetur, ne hac occaſione ab obſequio militari, atque a cuſtodia limitis abducatur. Univerſim etiam *l. 12. ſſ. 1. ff. de re milit.* prohibetur, equum militarem extra Provinciam duci, ne militis impediatur officium, aut abſentia novis rebus occaſionem præbeat. Atque hoc ex *diſciplina Auguſti* ſic conſtitutum fuiſſe, Paternus JC. ſcribit. Auguſto enim poſt occupatam Rempublicam in eo conſilia omnia vertebantur, ut pacem reſtitueret ubique, ac tot bellis imponeret magnum diem, Jani templo iterum clauſo. Multum igitur eo etiam laborabat, ne quicquam turbarum in Provinciis excitari facile poſſet. Huic fini *ex militaribus copiis* (l) *Legiones & auxilia provinciatim diſtribuit*, quibus in officio Provinciales continerentur. Quo autem præſens ſemper atque ad ſubita paratus miles eſſet, inter alia etiam equum extra Provinciam duci vetuit.

Non extra Provinciam duci.

XIV. Militi equus in præmium laborum conceditur, ut etiam exauctoratus eum retinere; quin militans adhuc certis modis alienare poſſit. Tum ſcilicet, quoties aut æque idoneum, aut meliorem in promptu habuerit. Alio pacto, quemadmodum univerſim armorum (m) ita equorum etiam, per qualemcunque contractum fiat, alienatio illicita eſt. Graviter quoque punitur, proprio equo in luſtratione exercitus (auf dem Muſterungs-Platze) non inſtructus. (n) Jure Danico *art. 67.*

Proprietas equi acquiritur militi.

Prohibita tamen alienatio.

diſer-

(*l*) *v. Sueton. in vita Aug. cap.* 49. (*m*) *v. l.* 14. §. 1. *ff. de re milit.* Schwediſch Kriegs-Recht *tit.* 17. *cum not. Caſpar. Matth.* Schwartz, *Maximil. II.* Articuls-Brieff. *art.* 3. & 4. (*n*) *v.* Holländiſch Kriegs-Recht *art.* 69.

diserte sancitum: Welcher sein Pferdt verkaufft und verschenckt, und dargegen kein besseres übrig hat, soll seinen gantzen Rest (des Solds) verbrochen haben, und ohne Paß verwiesen werden. Auch sollen die Officirer denen Reitern nicht zulassen, daß sie ihre Pferde vertauschen oder verkauffen. Cæterum ipsa alienatio equi in extraneum & ignorantem, non autem in commilitionem, hactenus robur habet, ut per Magistrum equitum equus non vindicetur. Quin tamen ob publicam utilitatem etiam equus militaris, illicite alienatus vindicari possit, non dubito, cum præcipue, *qui cum alio contrahit*, *vel sit*, *vel debeat esse non ignarus conditionis ejus*, sive status. (o) Illud quoque certum est, militem recte de equo suo testari: nam de cæteris armis testandi facultas competit. (p) Quamvis autem equus proprius fiat militi, ex culpa tamen amissus, restitui debet, & pœna arbitraria infligitur. (q) Quod si per malitiam corrumpatur equus, eoque fine ut inhabilis militiæ quis reddatur, neque cogatur ire in aciem, illum ademto equo cum infamia (non tantum sin testimonio, ohne Paß) jus militare Danicum (r) exauctorari jubet. Sic olim qui filium debilitaverat, delectu per bellum indicto, ut inhabilis militiæ esset, præcepto D. Trajani deportabatur. *l. 4. §. 12. ff. de re milit.* adde Gothofred. In acie vero & sine culpa amissus aut debilitatus equus restituitur, neque invitum mutare militiam atque ad pedites traduci fas est. (s) Singularis adhuc constitutio de jumentis vehiculorum militarium occurrit in der Reuterbestallung *de anno 1570. art. 10.* Wo einer oder mehr

Debilitatio.

De jument. vehicul.

(o) *v. l. 19. de R. I. ibique Gothofred.* (p) *v. Burger. observat. militar.* 47. 1. Frantzösische Articuls-Brieffe *n. 10. apud Pappum.* (q) *v. l. 3. §. 13. ff. de re milit.* (r) *de an. 1625. art. 96.* (s) *arg. l. 3. §. 1. ff. de re milit. ubi talis militiæ mutatio inter pœnas refertur.*

mehr seine Anzahl an guten Wagen-Pferden in der Musterung nicht hätte, so soll ihm so viel an dem Wagengelde durch die Commissarien abgezogen werden. Wo auch einem eins oder mehr Wagen-Pfeerde erlegen, oder abgiengen, so soll er dieselbige alsbald wieder erstatten, und zuerfüllen schuldig seyn. Welche aber von den Feinden erschossen oder umbkommen würden, dieselbige sollen denselbigen Monat für gut passiret, und hernach ohne weitern Fehl erstattet werden.

XV. Hactenus de Romanorum institutis, quidque juris circa equos militares introduxerint, præcipue tractavimus. Non incongruum jam fuerit, de Vasalliticis equis pauca subjungere. Germaniam nostram a Romanis nunquam sine clade lacessitam, & tentatam magis quam victam, militiæ causa feudorum usum primitus induxisse, inter eruditos nihil amplius dubitatur. Quanquam enim Boxhornius (t) hanc Feudorum causam tradit, quod Principes Germaniæ pro contracto ære alieno pignoris loco agros & latifundia civibus suis obtulerint, tandemque cum solvendi non essent, concesserint in feudum: ut inde vocabulum lehnen respectu mutui usurpari pro feudo cœperit: non tamen inde prima feudorum origo. Nam tum ex consuetudinibus Feudalibus, tum ex testimoniis Historicorum longe aliud elucescit. (u) Uti vero militia ipsa primis temporibus pedestris, quam equestris erat: sic ipsa servitia armata solum manu præstita frequentius haud dubie fuere. Qui ex 2. *Feud.* 12. pro equestri argumentum petunt, non aliud probant, quam equos etiam Vasallis imperatos fuisse. Distincte loquitur textus: *quod si cum equis vel armis*

De equis Vasallaticis.

Feudorum origo.

Servitia initio armata solum manu frequentius præstabantur.

(t) *in dissertat. de Trapez. p. 8. & seqq.* (u) *v. 2. F. 52. Eyben. Elect. jur. feud. 2. 5. & 4, 4. Magnif. Struv. Syntag. Feudal. 1. 3.*

mis communibus feudum ſit acquiſitum: ergo etiam armis communibus ſine equis feuda acquirebantur. Neque unquam Vaſalli in jure feudali equites appellantur; ſed vulgari tantum militum vocabulo. Succeſſu temporum, poſtquam equeſtris militiæ major uſus ac pretium, feudalia quoque ſervitia præſtari equis crebrius conſuevere. Manifeſto id probant non tantum auxilia imperio a Statibus ſubmitti ſolita; ſed in ſingulorum Statuum territoriis communis Vaſallorum, & Nobilium maxime, reſpectu Statuum obligatio. Nam alia feuda a privatis conceſſa nihil huc pertinent. Inde etiam receptum, ut feuda, vulgo Ritter-Güter, ſive Equeſtria vocentur, quantumvis id genus ſervitia non præſtentur. Hoc autem fit, vel quia initio cum onere iſto, poſtmodum autem alio ſervitio ac onere impoſito conceſſa fuerunt: vel quod a potiori ad univerſa denominatio tranſiit.

Feuda equeſtria.

XVI. Dum autem equi præſtationem in militaribus iſtis ſervitiis numeramus, non promiſcue quemvis intelligi conſtat; ſed idoneum bellicis laboribus, nec ornatu ſolum neceſſario; ſed equite armato ac bellatore inſtructum. Unde in literis ac Conſtitutionibus conjungi videmus equos ac milites, & Vaſallis imperari, daß ſie mit gebührender Anzahl Pferde und Knechte ſich gefaßt machen. Hoc igitur ſervitium initio eum in finem exactum fuit, ut bellicis temporibus Domino Vaſallus præſto eſſet, & contra hoſtes corpus ac ſpiritum devoveret. Poſtea Imperatores ad Imperii regimen recens evecti, cum Romam contenderent, inſigne Imperatorium a Pontificis manu recepturi; majoris pompæ & ſecuritatis cauſa Vaſallorum comitatu ſtipari voluerunt. Quo de *lib. 2. Feud. 55. §. 1. & Magnif. Struv. Syntagm. Jur. Feud.*

Sub equo miles comprehenditur.

Vaſalli officium exigitur tempore belli.

In expeditione Romana.

Feud. 11, 5. Hodie expeditio iſta magno Germaniæ bono, & cum Romanæ ſedis gemitu ſublata eſt. Solet vero exercitus certo numero equorum vel peditum conſtans, vel pecunia, ſecundum modum atque æſtimationem expeditionis Romanæ (nach dem Abſchlag des Römer-Zugs) a Statibus Imperio præſtari. (x) Porro etiam viarum publicarum cuſtodia demandata fuit, ut graſſantibus adhuc diffidationibus ac latrociniis obequitarent vias, tutasque redderent. *Ad cuſtodiam viarum.* Quo nomine Præfecturis olim certos Vaſallos adſignatos putant, qui denunciantibus Præfectis contra pernicioſos homines & turbatores pacis publicæ auxilia ferrent. Inde Amtſaſſios nobis deducunt. Quod ipſum hodie locum invenire concedo, ſicubi ex latronum multitudine & licentia par metus ac turba Reipublicæ, ſique in conceſſione Feudi ſervitium hoc diſerte depoſcatur ac promittatur. Nam quoniam hodie in literis inveſtituræ nulla ejus mentio fieri ſolet, & expurgata dudum Germania ratio exigendi vix amplius reperitur: quoniam in Receſſibus Imperii de anno 1548. § ferner & de anno 1555. §. nachdem aber ipſis territorii Dominis vectigalium nomine imponitur, ut ſecuritatem viarum procurent: ideo præſumi haud debet, adhuc etiam Vaſallum ordinario jure, & citra expreſſam conventionem emergente fortaſſis caſu, ad onus iſtud ſubeundum adſtringi. Confirmat hæc reſponſum a Facultate Wittebergenſi anno 1521. datum: in quo, referente Schultzio (y) ita diſpoſitum: Ob nun wohl E. Fürſtl. Gnaden Lehnleute unter andern den Gehorſam, insgleichen deroſelben Schaden zu wenden und zu kehren, auch die

(x) v. R. A. *de anno* 1644. §. und damit nun *Magnif. Struv. Syntag Feud.* 11. 4. 5. *Webnerus obſerv. Pract. voce* Römer-Zug. (y) *Synopſ. Feudal.* 10. 32.

die Lehen zu verdienen, vermöge der Lehn Pflicht geschworen. Demnach aber und dieweil die Lehns-Pflicht auf die Versicherung der Landstraßen nicht zu extendiren, derentwegen sonsten der Zoll eingehoben, und darvon die Strassen sicher und rein gehalten werden sollen, so seyn die Lehnleute zu Verrichtung solcher Dienste bey Verlust der Lehn nicht anzuhalten. Sane si Vasallus simul subditus Domino fuerit; ut subditus, non ut Vasallus, recte ad servitia hæc cogitur. Tandem moribus nostris Vasallorum equis instructorum præsentia requiritur, quoties in congressu magnorum Principum, in itinere, nuptiali aut funebri solennitate, aliquid dandum est splendori ac ostentationi, ingenti lætitiæ aut luctui.

In congressu Principum & solennibus actibus.

XVII. Ista vero equestris functio Vasallo vel expresse in literis investituræ imponi solet, vel tacite etiam, concesso feudo, cui onus antea adjunctum, neque per conventionem remissum est. Nam ex Doctorum sententia in dubio illud præsumitur statuendum, quod ordinario jure obtinet: cum juri suo nemo Dominus renunciasse credatur, suæque imputare negligentiæ Vasallus debeat, quod sibi non melius prospexerit. (z) Sane ob servitium præstandum primitus & præcipue feuda dantur. Hinc Germanica formula: Daß der Vasall das Lehen mit Ritter-Diensten und seinem eigenen Leib verdienen muß. Quatenus itaque remissio intuitu feudi, vel fructuum ex feudo, quorum nomine ad servitia Vasallus obstrictus est, non apparet; eatenus dubio procul adhuc tenetur. Propterea etiam, quod servitia naturaliter Feudis insunt, in eorum æstimatione, im Anschlage der Lehngüter, certa quantitas demi pretio, atque

An & quando tacite servitia hæc imponantur.

(z) *v. Rosenthal.* 8. 22. 1. *Kobl. de servit. Feud.* 6. n. 23.

atque servitium tale, (vulgo vocatur ein gantz Lehn-Pferd, sive ein Pferd-Ritterdienst) communiter mille florenis vel etiam thaleris æstimari solet. Æstimato enim feudo, semper unius militaris servitii nomine, tot floreni aut thaleri detrahi solent: quum de horum fructibus aut pensionibus annuis equus fere ali queat. (a) Quod si emptor, vel quivis alius oneroso titulo feudum acquirit, tantundem demere de pretio potest: cum hoc jus reale sit, & sequatur possessorem. Idque locum habet etiam in parte feudi, cum consensu Domini alienata. (b) *Æstimatio eines gantzen Lehn-Pferds.*

XVIII. Ne vero nimium oneretur Vasallus, ex reditibus feudi æstimatur, quot equorum (qui Germanice audiunt Ritter-Pferde, & interdum pro ipso feudo accipiuntur) præstari debeant. Hinc aliquando a duobus tribusque Vasallis unicus tantum; ab uno tres, quatuor, longeque plures exiguntur. In pluribus Germaniæ locis nominatim hoc in literis investituræ, vel in Catalogo feudorum in Lehn-Registraturen exprimi solet, welcher Gestalt der schuldige Roßdienst zu leisten, ob mit einem halben, gantzen, zweyen oder mehr Pferden vom Lehen zu dienen. (c) Conjunctio ista plurium, contributionem pecuniariam simul complectens, a Siculis & Neapolitanis feudorum interpretibus *Adoa* sive *Adoamentum* dicitur. (d) Quoties autem dubitatur, quotnam equi a Vasallo præstari debeant; si constiterit de certo feudo, ejus possessorem ac Vasallum duobus servire equis teneri: alius feudum possidens, cujus æstimatio priori vix dimidia parte respondet, ad unius saltem equi; & iterum *Numerus equorum* *Quomodo & quousque Vasallum obligari probetur.*

(a) v. Knichen, de pactis vestit. 2. 5. 1038. Schulz. in Synops. feudal. 10. 42. Rhetius ad consuetud. feudor. 1. 21. (b) v. Rhet. d. l. (c) Kobl. de servit. feud. part. 4. 95. (d) v. Kobl. de servit. feud. part. 6. n. 25.

alius feudum pretii duplo majoris consecutus, ad quatuor equorum præstationem adstringetur. Ita deinceps in aliis quoque feudis ratio initur. (e) Non minus contra Vasallum ex literis investiturarum, aut Registris lustratoriis, Muster-Registern, & metatoriis schedulis, Quartir-Fourir-Zeddeln, probatio petitur. Delectu enim facto liquet, quot equis aut Vasallus ipse comparuerit, aut antecessor ejus ad servitiorum præstationem a Domino requisitus. Tradit hinc *Andreas Knichen*, (f) nonnullos hac parte cautiores, vel minore numero comparere, vel majore quidem; sed non sine protestatione, fieri id in singularem honorem & reverentiam Domini. Onus autem hoc non per intervalla, aut brevi tempore; sed perinde ut cætera servitia atque præstationes, quæ feudi nomine debentur, tamdiu Vasallo incumbit, quamdiu possidens rem feudalem emolumenta percipit exinde, & nova conventione vel indulgentia Domini; aut semper, aut certis casibus non liberatur. Quid igitur finito bello statuendum sit, hinc atque ex ordinatione Electorali, de anno 1571. apparet. Hæc enim titulo: Daß unsere Lehenleute in guter Bereitschafft sitzen: severe vetuit, ne futuræ pacis spe illecti Vasalli, minus forte vel semetipsos pararent, vel debito equorum ac militum numero instruerent. Atque hæc omnia hactenus, ob reditus & commoda, quæ ad Vasallum perveniunt, ipsius Vasalli stant impensis.

Onus hoc est perpetuum.

Et Vasalli impensis sustinendum.

XIX. Jam moveri possent quæstiones, utrum sponte, an vero postulante demum Domino, equestre hoc servi-

(e) *Kohl. de servit. feud. part.* 4. 108. (f) *de sublim. & Reg. territor. jur. c.* 3. 354.

ſervitium ſit offerendum? An non imminente periculo, ultra definitum numerum mitti auxilia debeant? utrum liberetur Vaſallus, ſubſtitutum aut pecuniam offerendo? & ſi quæ hujus generis plura occurrunt. Sed ne impingamus (& forte jam tum impegimus) cum vulgo Doctorum in Ariſtotelis præceptum, de ſpecie & equeſtribus ſervitiis intempeſtive inculcantes, quod generi competit; in aliam occaſionem rectius iſta ſervabuntur. Sane quoties in ſingularem Domini honorem comparendum eſt, pluribus equis Vaſalli ſemet fere ſiſtunt, & fortaſſis etiam debent: quoniam haud adeo magnis nec diuturnis ſumptibus totum officium hoc impletur. Gravi etiam periculo inſtante, cuique propulſando Dominus vel ob paucitatem Vaſallorum, vel ob anguſtiam temporis viribus impar futurus eſt; juſtum cenſetur, ut Vaſallus pluribus equis & hominibus ultra numerum debitum ſuccurrat. Nam tacite Vaſallus, dum pro viribus Domino ſe auxilia præſtiturum promittit, caſu neceſſitatis ad hoc ſeſe obligat. (g) Si porro *unicus* debeatur *equus*, invito Domino non poteſt ſubſtitutus, niſi æque *acceptabilis*, offerri: aut niſi Vaſallus plane impediatur. Ratio generalis eſt, quam vide apud Interpretes. (h) Quantum ad expeditionem Romanam, ea pretio redimi poterat, uti ex 2. *F.* 40. (i) & Gunthero in Ligurino (k) conſtat.

Quoties pluribus equis ſerviendum ſit.

Quando ſubſtitutus admittatur.

Aut eat, aut alium pro ſe ſubmittat, iturum
Arbitrio Domini: vel quem laudaverit ille

D 2 Com-

(g) *v. Kobl. de ſervit. feud. p.* 4. 98. *ubi plures rationes.* (*h*) *v. Magnif. Struv. Syntag. feud.* 11. 6. *Roſenthal. de feud.* 8. 38. 41. *Rhet. ad conſuetud. feud.* 1. 21. *p.* 446. *a quo etiam diſſentienti Schradero reſpondetur.* (*i*) *v. ibid. Cujac. & Bitſch.* (*k*) *l.* 8. *verſ.* 610.

Compenset redimatque suum mercede laborem.

Jus feudale Saxonicum *cap. 4.* pretium, quod Vasallus cum Domino Cæsarem non prosecuturus, solvit, appellat Fahrt lösen. Verba sunt: Oder soll die Fahrt lösen mit dem zehenden Pfund des Zinses, den er jährlich von ihm hat. Stipendium istud Domino feudi a Vasallo, ad compensandum redimendumque laborem, in expeditione obeundum, præstitum, vocatur Hostenditiæ, Reisogeldum, Reißgeld, & Heribannum, Heerbann, id est, ad exercitum vocatio, seu citatio ad delectum; Herischulda, Heerschuld. (1) Facilius autem redemtio tum concedebatur, quia periculum non in mora, & alius idoneus haud magno labore conduci poterat.

Hostenditiæ. Reisogeldum &c.

Cujus sumtibus servitia præstanda.

XX. De sumptibus in ipsa servitiorum præstatione a Vasallo faciendis, consulatur *Rhetius* ad consuetudines Feud. *1. 21.* Consentit vero etiam qua militiam equestrem, jus commune ac recentius cum veteri tum Longobardico, tum Saxonico: ut nimirum Vasalli impensis atque periculo agantur omnia, & ne quidem amissis equis, armis, militibus liberetur. Ita *art. 44.* der Käyserl. Reiterbestallung constitutum est, ut intra menstruum vel maxime intra bimestre spatium, in occisorum militum & equorum locum alii restituantur. Doctores æquitatem hujus juris confirmatum eunt *arg. l. 2. §. 1. ff. de Lege*

(1) *v. Cujac. ad 2. F. 40. & præfat. Comment. de feud. l. 5. Feud. ad Constitut. Frider. de incendiar. Knicben de sublim. & Reg. territ. jure, 3. 373. & seqq. Bitsch. Comment. ad 2. F. 40. qui de Etymologia vocabuli Hostenditiæ multa habet n. 5. Magnif. Struv. Syntag. Feud.* 11. 6. *n.* 4.

de Lege Rhodia, de jactu, & l. 5. §. 7. ff. Commod. Additur etiam ratio, quod Vaſallus ad hoc ſeſe obligaverit, ut compareat ſerviatque in bello, eoque ipſo amiſſionis periculo quæcunque affert, exponat, (m) quod Dominus etiam opera Vaſalli aliter, quam ſecundum leges conventionis uſus non fuerit. Præterea Vaſallus ex feudo utilitates percipit: igitur damna quoque ferat. Nec refert, utrum in acie & conflictu equus amittatur; utrum extra prælium in itinere ad Dominum ſervitiorum cauſa ſuſcepto, aut in reditu ex prælio. Nam acceſſus & reditus intuitu ſervitiorum inſtituti acceſſoria ſunt: de quibus idem ſtatuitur, quod de principali. (n) Nec quicquam id iniquitatis habet, ſi tanti ſint feudi reditus ac commoda, ut ſine irreparabili jactura & pernicie Vaſalli exigatur. (o) Nam prædia vel modica, vel prorſus inculta, ſub tanto onere, vanoque beneficii titulo concedere, injuſtum eſt, neque ad alliciendos & excitandos Vaſallos efficax. Quin potius in ipſius Domini detrimentum vergit, ſi eorum conſumi vires ac dejici patiatur, quorum præſenti fortique manu ſalutis ſuæ ac potentiæ firmamenta quærit. Quo ipſo multis locis Dominus putaverim inductos, ut, qua equeſtrem militiam imprimis, acceperint rationem capituli extraordinarii 2. *F. 107*, & Vaſallum, qui ſemel ſumtu ſuo inſtructus ſe ſtitit, non amplius impenſas facere permittant. (p) Saxoniæ Principibus præcipua hæc gloria debetur, qui Vaſallis comparentibus ſuppeditant Futter, Mahl und Hufſchlag, aut ſaltem ſtipendium conſuetum ac ſufficiens. (q) Hinc *Jus Saxon.*

 etiam

(m) *conf. l. 26. §. 6. ff. mandati. l. 20. ff. de Oper. libert.* (n) *arg. l. 2 ff. de jurisd. Kobl. de ſervit. Feud. p. 6. n. 2. & ſeqq.* (o) *Kobl. p. 4. 107.* (p) *v. Carpz. p. 3. Conſt. 38. def. 18. Knichen. de jur. territ. 3, 361 Kobl de ſervit. feud. p. 6.* (q) *Zobel differ. jur. Sax. 3, 24, 7. Schneid. epid. feud. 5, 111.*

etiam Saxonico jure Vasallus cogi non potest ad præstanda prius servitia, quam equus, arma, aliave amissa restituantur. (r) Idem observatur in servitiis extra bellum exhibitis. Nam anno 1603. expresse constitutum est, auf dem Landtage zu Torgau in Erörterung der Landes-Gebrechen: Mit Auslesung derer von Adel, wenn sie in die Aempter oder den Halt zu bereiten erfordert, soll ihnen aufs Pferd Tag und Nacht, wo es sonst nicht seine gewisse Satzung hat, ein halber fl. gereichet, werden. Adde Elect. Sax. Aug. Ausschreiben de anno 1555. tit. von Auslösung der Amtsassen. De cætero, quæ memoravimus de restitutione damnorum & equi amissi, intelligi debent de casu, quo sine culpa Vasalli equus aut arma amissa, damnumque acceptum est. (s) Quod si Vasallus Francus equo servitia præstet, tunc etiam communi jure restituendus venit. Et hæc generatim ad omnes Vasallos & quævis damnorum genera pertinent. (t) Sufficiant autem ista de equis Vasalliticis, unumque adhuc ex Aurea Bulla subjicere liceat. Ibi enim *c. 29.* sic sancitur: *Dum Princeps aliquis equo vel alteri bestiæ insidens feuda sua ab Imperatore vel Rege recipit, equus ille seu bestia, cujuscunque speciei sit, debetur superiori Mareschallo, id est, Duci Saxoniæ, si præsens fuerit: alioquin illi de Pappenheim, ejus Vice Mareschallo; aut illo absente, Imperialis sive Regalis Curiæ Mareschallo.*

De equo Principis ab Imperatore investiti.

XXI. Cum hisce, de quibus jam tradidimus, Vasalliticis equis multum conveniunt apud Turcas equi Timariotarum. Hi enim sunt equites in Timarris, sive agris ex hoste captis, collocati, ut pro reditibus inde perceptis aliquot equos virosque in belli usum alant. Quisque

Timariotæ.

(r) *v.* Lehnr. 4. & 67. (s) *arg. c. damnum. 86. de R. I. in 6. Rosenthal.* 8, 23, 3. (t) *vid. Kobl. de servit. feud. p. 6. n. 33.*

que Timariotarum 5 minimum vel 6 equos alere potest. Pro singulis ager assignatur, cujus æstimatio trium millium asprorum est, sive 60 scutorum aureorum. Quibus opulentiores Timarræ obtigerunt, tot equites ducere ad bellum tenentur, quot millia asprorum in reditibus supra quinque mille habent. (u) Hoc equitatu Turca & subditos in officio continet, nec minus ad alias extra imperium expeditiones paratus est. Pars etiam consilii apud ipsum, non permittere, ut ad hæredes transeant istæ possessiones: ne forte auctu bonorum & diuturnitate temporis muneris sui & natalium, unde, quibusque conditionibus tantas opes acceperint, obliviscantur. (x)

CAPUT II.
DE
EQVIS CURSORIIS ET ANGARIIS.

DE militaribus Equis pro instituti ratione satis luculenter egimus, & festinandum jam est ad alium, eumque insignem maxime, in Republica usum equorum. *Cursum publicum* intelligi volo, *ob publicam* (y) utilitatem longissimis retro seculis inventum. Agemus vero hic maxime de cursu tum solis equis, tum vehiculis institui consueto. Definiri posse videtur *per Equos publicos, certis locis ad expediendas publicas ac privatorum necessitates constitutos.* *Cursus publicus.*

II. Ejus usus apud *Persas*, primos Cursus publici auctores, *Apud Persas cursus equestris.*

(u) *Johan. Baptist. Montalban. Comment. rer. Turc. tit. de Timarr. Bœcler. de potentia civit. p. m.* 377. (x) *v. Barcl. Argen.* 3, 4. (y) *l.* 2. *C. de Cohortalib. Cassiod.* 5. *Var.* 5. *Limnæus de J. P.* 2, 9, 134. *Besold. Th. Pr. voce* Post. *Hornigk, de jure Postar. c.* 14. & 15. 2. *p.* 122.

auctores, uti videre licet ex *Xenophontis* libro de vita & disciplina *Cyri* Regis, cui tam nobilis inventi gloriam adscribit. Ita enim in VIII narrat. *Is Cyrus considerans, quantum spacii uno die equus posset conficere, sic ut labori non succumberet: in tali isto intervallo Equilia constituit, inque iis equos & eorum curatores. Tum etiam in quoque loco virum idoneum, qui acciperet literas, & cursu ita perferret: quem nec noctu interdum intermittunt.* Tametsi vero iste Xenophontis liber *Josepho Scaligero*, si nuda nomina, & mentionem duorum triumve eventuum excipias, nihil veri contineri videtur: in hoc tamen nobis utilis est, ut de Cursus publici apud Persas ratione multa suppeditet. Nam ad mores illius gentis perpetuo Historicus respexit, tribuendo fortassis Cyro, quæ ad magni Regis laudem absolvendam factura judicabat. Accedit præcipue testimonium *Herodoti*, qui lib. VIII. tradit, *τὸ δϱάμημα τῶν ἵππων*, equestrem cursum Persico vocabulo *ἀγγαϱήϊον* sive *ἀγγαϱεῖον* appellatum fuisse. De qua voce *Hesychius* & *Suidas* consulantur, nec non *Magnif. Schilt. de Cursu Publico 1. 3.* Græcos *pedestrem* cursum usurpasse, satis eruditi docuerunt. Inde *Hemerodromi* (z) sive Diarii Cursores, qui per integrum diem currebant, noctu quiescentes. De equorum hanc in rem usu non vane cum Lipsio (a) dubitare liceat: cum unicus apud Livium (b) locus exstet, quo de Tiberio Sempronio Graccho refert, eum per *dispositos equos* propre incredibili celeritate ab Amphissa Pellam tertio die pervenisse. (c)

An & apud Græcos?

De Romanis.

III. De Romanorum Equestri cursu vel soli tituli utriusque Codicis *de Cursu Publico* abunde testantur. Quin

(z) *de his multa congessit Lipsius Centur. singul. Epist. 59.* (a) *Lips. d. l.* (b) *Liv. l. 37.* (c) *add. Magnif. Schilt. de Curs. Publ. 1. 6.*

Quin ante *Octavium Augustum*, (d) priusquam publico ſumtu & cura ordinatus eſſet curſus, cumque ſoli forte privati equos lucelli cauſa elocarent; per *diſpoſitos equites*, *mutatis ad celeritatem jumentis*, nec non *meritoria rheda* longiſſimas vias, & incredibili celeritate confectas fuiſſe, ex *Julio Cæſare* (e) atque *Suetonio* (f) diſcimus. Duplicis autem generis equi in Curſu publico adhibebantur. Alii enim *hominibus;* alii *ſarcinis* ferendis deſtinati erant. Illos appellabant *Veredos* ſive *Curſuales*, ταχοδρόμυς, publicos, (g) quique iisdem utebantur, *Veredarios*. (h) *Veredos* Feſtus inde vocatos arbitratur, quod *rhedam* duxerint, in quibus homines vehebantur. Arcadius quoque Chariſius, JC. *in l. 18. §. 12. ff. de Muner.* ſcribit *Verbedos*, manifeſtiore originis argumento. Cæterum frequentius pro illis equis uſurpantur, qui curſui publico veloci inſerviunt, ſine vehiculis ſeu rhedis. Etiam ex Martiale *Epigram. 12. 14. & 14. 26.* nec non ex Auſonii *epiſt. 8.* docemur, generatim & ſimpliciter *Veredum* pro equo veteres dixiſſe, notiſſima in ſcholis figura. (i) Hos autem Veredos itineri publico & viæ regiæ inſiſtere oportebat, *l. 4. C. Th. de Curſ. Publ.* erantque munus patrimoniale. *l. 18. §. 21. ff. de muner.* *Veredi.*

IV. Veredis adjungamus Paraveredos, quos *Cujacius* (k) putat eſſe majores equos agminales, poſteriori ætati *parafredos* appellatos. In lege Bajuvariorum: *Parafredos donent, aut ipſi vadant, ubi eis injunctum fuerit.* Retinuerunt vocabulum illud Franci, & mutarunt in *Palfredus*, Pallefroys. Ei oppoſitus *dextrarius* equus, qui *Paraveredi.*

E bellica

(d) v. Lipſ. d. l. (e) J. Cæſ. l. 3. de B. C. (f) in Jul. Cæſ. 57. (g) Gothofred. ad l. fin. §. 21. de Muner. & hon. (h) l. 8. 14. 16. 17. 50. C. Th. l. 12. C Juſt. de Curſ. publ. (i) de uſu Veredi in acie ſtruenda v. Magnif. Schilt. de C. P. 3.3. (k) ad tit. C. de C. P.

bellica dexteritate præmineat: cum ille ad itinera & res vehendas aptus ſit. Vera autem differentia *Paraveredorum* a *Veredis*, hæc a Gothofredo contra Cujacium ſtatuitur. Cum jam Conſtantini ævo velox curſus in publico ſolum itinere eſſet, non in viis militaribus: ideo Veredi etiam in publicis viis tantum exigebantur atque adhibebantur. Paraveredi contra extraordinarii erant, nec uſurpabantur in evectione publica; ſed in via militari aut transverſa; cum ſubita neceſſitate poſtulante (l) a publico itinere diverti deberet. *l. 4. C. Th. de C. P.* Quod aliter obſervabatur Auguſti ævo, qui per militares vias curſum publicum deſtinarat. (m) Eodem cum Paraveredis reſpectu, *Parangariæ* etiam nomen acceperunt. Ita enim habent Baſilica: (n) Καὶ ἔστιν ἀγγαρεία μὲν ἡ πάροδος, ἡ διὰ τῆς δημοσίας ὁδοῦ, τῆς καὶ δρόμον ἐχούσης. Παραγγαρεία δὲ ἡ διὰ τῆς ἐκ πλαγίας ὁδοῦ. *Angaria eſt tranſitus per viam publicam, quæ & curſum habet: Parangaria tranſitus per viam transverſam.* (o) Paraveredos vocabant quoque *Agminales*: quia civitatibus incumbebat certa agmina aut greges horum equorum alere. (p) Aliorſum vero tendit *Budæus*, per agminales hic intelligens πραγματικούς: qui diverſi ab ἀγελαίοις agmen exercitus ſequuntur, ad convehenda impedimenta. Galli *chevaux de charge & de bagage* vocant. (q)

Differentia inter Veredos & Paraveredos.

Parangariæ.

Equi Agminales.

Parhippi.

V. Jam erant quoque *Parhippi*, de quibus olim non convenit inter interpretes. Πάριππος apud *Suidam* locus erat Athenis, ita vocatus, quod equus ibi puellæ, ab Hip-

(l) *l. 2. 9. C. Th. de C. P.* (m) *Suet. in Aug. 49. de militar. viis. vid. l. 3. ff. de loc. & itin. publ. adde* D. *Schilt.* 1. 7. (n) *l.* 56. *tit.* 17. *c.* 11. (o) *v. Magnif Schilt. de Curſ. Publ.* 3. 4. (p) *v. Gothofred. ad l.* 3. *C. Th. de Curſ. Publ.* (q) *v. Guther. de offic. dom. Aug.* 3. 14. *Gothofred. ad l. fin.* §. 21. *ff. de muner. & honor.*

Hippomane patre ob pollutam virginitatem inclusæ, vim intulisset. Verum hic nihil ad nostros. *Bartolus & Baldus* existimarunt, Parhippum in jure hominem esse, usurpatum præter numerum veredorum evectione permissum. Quos *Gothofredus* refutat *in comment. ad l. 14. C. Th. de C. P. Martinus in Lexico* πάριπποι interpretatur affectatorem equi. Unde canes πάριπποι, una cum equis currentes. *Hesychius:* παρ᾽ ἵππων, id est, παρὰ τῶν ἵππων, *præter equos.* Quæ significatio ad nostrum institutum facit. Nam per Parhippum in legibus eruditiores intelligunt veredum ultra evectionis sive concessionis Principalis modum usurpatum. Quin etiam utenti hoc nomen impositum. Sic enim definit Julianus Imperator *in l. 4. C. de Cursu Publico: Parhippum*, ait, *eum videri & habendum esse, qui usurpato uno vel duobus veredis, quos solos evectio continebit, alterum tertiumve extra ordinem commoveat.* Meminit etiam Parhipgi non semel in Epistolis Julianus: ἄξει δὲ δημόσιας δρόμος ὀχήματι χρώμενον ἑνὶ καὶ παρίππῳ. *Ducet te publicus cursus, utentem vehiculo uno & Parhippo.* (r) Crebro autem Parhippus *Avertarium* equum; *Avertarius equus.* id est, sagmarium, sive sarcina oneratum, significat: ab *averta*, quæ pera, mantica est, ad vestes viatorias aliave necessaria condenda. *Averta.* Fell⸗Eisen, Mantel⸗Sack. Gallice: *une malle, une Valize.* (s) Accursium, Budæum, Alciatum & alios, qui varie vocem istam interpretati sunt, Jacobus Gothofredus *ad l. 48. C. Th. de Curs. Publ.* dudum meliora docuit. Neque igitur averta *laterale equi ornamentum* significat, sive *pectorale;* neque *ornamentum capitis*, quo habenæ figuntur; quasi ab avertendo dicatur, quia equi per eam vertantur ad arbitrium ses-

(r) *v. Alciat. ad l. 4. C. Just. de Curs. Publ.* (s) *v. Magnif. Schilt. de C. P. 3. 14.*

ſoris. Quod poſtremum Alciato *ad l. 12. C. Juſt. d. t.* placuit. Nam quis credat quinquaginta aut ſexaginta etiam librarum pondo iſta fuiſſe? At avertæ pondus eo usque poterat excedere, teſtibus *l. 57. 58. C. Th. l. 12. C. Juſt. de Curſ. Publ.* Deinde averta non in equi inſtructo ponitur; ſed in viatorio inſtructo ac munimento ad iter neceſſario: ut apparet *ex l. 47. C. Th. d. t.* De hoc Parhippo notandum, eum communi jure prohibitum fuiſſe, conſtituta gravi pœna, (t) niſi Magiſter officiorum vel ipſe Princeps in evectione Parhippum addidiſſet, aliqua neceſſitate cogente. (u) Videantur verba Theodorici apud *Caſſiodorum 5. var. 5.*

VI. Equis Romani porro aut ſolis curſum publicum peragebant, aut vehiculo junctis. Vehiculorum varia genera; præcipuum autem *rheda* erat, quæ etiam *vehiculum publicum*, vel ſimpliciter *vehiculum*, itemque *carpentum* vocatur *in. l. 8, 9, 18, 20. C. Th. de C. P.* Quatuor equis trahebatur: unde *quadrigarum* nomen *in l. 8. C. Th. d. t.* Ut vero cæteris jumentis ac animalibus; ita his quoque curandis privata officia occupata, *Præpoſiti & Mancipes* (x) qui a judicibus probabantur & provehebantur; cum cæteri officiales non niſi a Principe probarentur. *l. 7. C. Th. de diverſ. officiis.* Præter hos occupabatur familia: *muliones* ſcilicet, quorum *ſinguli veredis ternis* præerant. *l. 10, 14. inf. l. 34. C. Th. de C. P. Hippocomi* etiam erant; id eſt, ſtabularii & equorum curatores, a κομέω, *nutrio, curo. Suidas:* ἱπποκόμος, ὁ τῶν ἵππων ἐπιμελούμενος. Alio ſenſu ἱππόκομον Heſychius vocat τρυφάλειαν ἐξ ἱππείων τριχῶν τὸν λόφον ἔχουσαν. De noſtris exiſtimat *Alciatus*

Rheda.

Præpoſiti. Mancipes.

Hippocomi.

(t) *l. 14. C. Th. d. t.* (u) *l. 3. l. 22. in fin. C. Th. de Curſ. P.* (x) *de his v. Guther. de Off. Aug. Dom. 3. 14. p. m. 635.*

ciatus ad l. 13. C. d. t. fuiſſe hoc munus publicum eorum, qui in id agebantur, ut de Provincialibus acceptos cauſa publici curſus equos cura ſua alerent. Hiſce hippocomis accedebant opifices vehiculorum, ſeu Carpentarii: qui juxta cum iſtis omnes annonam & victum e fiſco conſequebantur, eoque ab iis, qui curſu publico utebantur, mercedem nullam exigere poterant. Adeatur *l. 31. 37. C. Th. d. t.* & *Gothofred. in Paratit. ibid.* *Carpentarii.*

VII. Hæc equorum genera, hæ de iisdem conſtitutiones apud Romanos reperiuntur. Quorum apud nos hodie exiguus uſus, poſtquam tota curſus publici ratio & in melius quidem mutavit. Comparantibus enim (liceat vero pauliſper evagari) Curſum Publicum Romanorum cum ſeculi noſtri inſtitutis, multis modis hæc præferenda judicabuntur. Nam a Romanis quidem, ſive Auguſtum, ſive Trajanum (illi *Suetonius*, huic *Aurelius Victor* curſus publici inventionem tribuunt) ſpectemus, ſive etiam ſequentes Imperatores; deprehendimus, eum in finem ſolummodo curſum conſtitutum fuiſſe, quo celerius pernoſcerentur ac peragerentur, quæ ad Rempublicam & negotia Principum pertinebant. Poſt *Octavium* demum Imperatores Magiſtratibus etiam indulgebant, ut in Provincias ituri curſu publico uterentur. Quo ante Auguſtum nihil opus erat, cum præſto haberent *præſtandorum mancipes*, qui non omnia quidem ad iter neceſſaria (ut *Caſaubonus* arbitratur, a *Magnifico Jureconſulto, D. Schiltero* in eruditiſſima Diſſertatione de Curſu Publico (y) ſolide refutatus) ſed equos tantum, mulos, tabernacula de publico exhibebant. Hic vero ipſe publici Curſus uſus, a Principibus conceſſus, ad publicum

Comparatio curſus publici Romanorum cum hodierno.

Magiſtratuum evectio.

 bonum

(y) c. 2. 2. & ſeqq.

bonum respiciebat. Privatæ utilitatis causa tantum aberat, ut usurpare eum possent, ut ingressis semel Provinciam, nulla itinera, & ne quidem militarem expeditionem, nisi propriis jumentis expedire vel ipsis, vel *officio suo*, seu Collegio officialium, quod hodie forte *Cancellariam militarem* vocant, liceret. Exstat ea de re expressa lex Arcadii, Honorii & Theodosii Imperatorum, quæ est XX. *in C. Just.* In eadem lege de *cohortalinis etiam officiis* (id est, de corpore cohortalium, seu cohorte Ducis vel Præsidis officialium, utque hodie loquimur, *Cameralium* Cammer-Canßeley (z) sancitur: *ne quis ex his per Provinciam suam discurrens, veredo uti conetur in posterum.* Præter hos *Senatui*, quoties ad Imperatorem evocabatur, aut ab eodem discedebat, evectio quoque indulta, facultate omni in cæteros usus plane denegata, *per l. 54. C. Th. & l. 6. C. Just. de C. P.* Tandem *Legatis* de diversis gentibus, Principique non subjectis (a) cursus publici usus communicatus fuit. At vero commerciorum ac privatorum hominum nulla plane habebatur ratio: idque ideo, ne fiscus aut Provinciales, quorum impensis cursus sustinebatur, nimium gravarentur. Itaque cum privati etiam tam in Oriente quam Occidente ausi fuissent cursu publico ad suas necessitates abuti, *per l. 44. C. Th. & l. 11. C. Just. de Curs. Publ.* adeo id prohibitum, ut ne quidem impetrata evectio quicquam ipsos juvaret.

Collegium Officialium.

Corpus cohortalium.

Senatus,

Legatorum,

Privatorum evectio.

Hodiernus usus.

VIII. Nostra tempestate longe majore in publicum emolumento cursus institutus est: cum non solum summæ potestatis negotia tam belli quam pacis temporibus; sed commerciorum quoque conservatio, ac incrementa, & privatorum quorumvis negotiorum expeditio

(z) *v. Magnif. Schilter.* 2. 7. (*a*) *v. Magnif. Schilter.* 2. 11.

tio per illum sustineatur. Quod eo facilius concedi potuit, postquam non amplius Principis aut subjectorum onus est, sed utentium sumptibus sustentatur. Qui & invitantur commoditate, & ne in fraudem publici cursus per alios suas literas ac negotia procurent, severe prohibentur. Magna utique prudentia & æquitate: cum reipublicæ intersit, commoda non subtrahi, sine quibus cursum labefactari & affligi necesse est. Etiam illud salutare censeri debet, quod jure cursum instituendi in subfeudum concesso, hac lege, ut sine sumptibus Imperii Cursores & Præfecti Postarum alantur. (Die Posthalter ohne Entgeld ihrer Käys. Maj. zu besolden und zu unterhalten) (b) Vasallus ad rationes diligentius ineundas, & ad solertiorem curam instigatur. (c)

IX. In Imperio nostro Postarum duo genera occurrunt: *Imperialis* nimirum, die Reichs-Post, & aliæ, quæ a Principibus & Statibus Imperii instituuntur. Quamvis enim Jus Postarum ad regalia, seu jura Majestatis referatur, multumque Aula Cæsarea Postis Principum, Comitum ac Civitatum contradixerit: (hinc sancitur, daß solche reitende Boten aller Orten, wo Graf Taxis oder seine untergebene Post-Verwalter dieselbe betreten werden, niedergeworffen, und ihnen die Pferd und Brieffe abgenommen werden mögen.) (d) attamen consuetudine jam receptæ longo tempore fuerunt. Quam consuetudinem illud firmat, quod sub jure territorii, angariarum & parangariarum, ipsæ etiam Postæ concessæ intelliguntur: quodque illa etiam competere Statibus censeri debeant, quæ quidem in Capitulatione Ordinibus non reservata; singulari tamen consuetudine jam tum confirmata sunt. Cui ac-

Postæ Imperiales, Provinciales.

De Provincialium jure.

(*b*) *v. Hornick. c.* 19. *p. m.* 320. 321. (*c*) *add. Magnif. Schilter. de C. P.* 2. 12. (*d*) *v. Hornick. c.* 19.

accedit, quod Statibus Imperii analoga Majestas tribuitur, cujus vi prospicere possunt ac debent suæ reipublicæ utilitatibus, & præcipue curare, ne quo belli aut pacis tempore juxta cum commerciis impediantur. Quod fieri necessum esset, jure hoc ipsis adempto, qui belli tamen ac pacis, qui commerciorum instituendorum jure gaudent. Sed decisionem hujus controversiæ cum *Magnifico Schiltero de C. P. 1, 12.* in medio relinquentes, ei, quod fieri solitum est ac solet, insistimus. Quod minus adhuc improbari potest, si Provinciales postæ non ad eadem cum Imperiali loca accedant. Dantur itaque hodie Land-Posten, Neben-Posten, Stadt-Posten, Metzger-Posten: de quibus *Hornick. d. c. 19.*

Comes Lemoral de Taxis.

X. Imperiales Postæ ordinantur a Comite Lemoral de Taxis, cui a Matthia, & post a Ferdinando II Imperatoribus jus istud in Feudum concessum est. Hic vel ipse Præfectis Postarum solvit certam pecuniam, ut *equos* parent, dispositosque per stationes certas alant, reditus autem fiant Comitis: vel accepta pecuniæ certa summa Præfectis concedit, ut ipsi suis sumptibus talia curent, sperandis in præmium reditibus. Disponendi tamen arbitrium penes Comitem remanet. (e) Statuum Postæ itidem utroque modo instituti solent. Ita Serenissimus Elector Brandenburgicus Præfectis suis in stipendium, utque certos equos cum servis alant, quotannis magnam pecuniæ summam exsolvit, reditus autem ærario suo infert. Hispaniarum Regi idem in usu positum est. Pro duobus autem tribusve equis cum Cursore in stationibus singulis habendis, trecentos, quadringentos, quingentos etiam coronatos pendit. Stationum spatia distant tribus,

Postæ Elect. Brandenb.

Regis Hisp.

(e) v. *Hornick.* 18. 9.

bus, quatuor aut quinque miliaribus. (f) Quod institutum imitandum est, quoties magni certique ex cursu reditus percipiuntur: ne unius privatam rem augeat, quo Principis ærarium locupletari potest. Incertis nec ita affluentibus reditibus, potius est, ut a Præfectis certum vectigal exigat Princeps, quam suo periculo, nec ita magno commodo ipse sumptus suppeditet. Jam equorum numerus cum locis, per quæ currendum, determinari solet, unde postmodum neutiquam recedi debet. Sic Lipsiensis Postæ Præfectus per hebdomadas singulas Cursores duos mittere Dresdam tenetur, hebdomatim soluto cuique in stipendium Joachimico. Interim de numero notandum, utut non minore; majore tamen licite cursum institui posse, modo nulla inde mora publicæ necessitati nascatur. Quod si nullus equorum certus determinatur numerus, ipse Præfectus tot alat eam in rem, quot necessarii videntur, quotque ex reditibus sine dispendio suo ali queunt. Quibus ita utatur, ut Postam semper uno alterove equo instructam habeat, qui parati sint præstoque ad subitos casus expediendos. (g) *Equorum numerus. Loca.*

XI. Diximus, Cursum publicum hodie a privatis etiam adhiberi posse, certa mercede data. Hinc duplicis generis cursorios equos constituamus. Alios fasciculis ac literis magnorum Principum transferendis; alios in peregrinantium usus destinatos. Non tamen promiscue quemvis Præfectus admittere tenetur; si præcipue ignoti sint obscurique homines, aut periculum in mora, aut pestilentia alicubi grassetur. Præferendi quoque merito Legati ac Principum Ministri, quique functione publica occupantur. (h) De eo etiam quæsitum fuit, si quis cum cursore proficiscatur, & in itinere succumbat equus, *Equi cursorii duplicis generis.* *Quinam conductorum præferendi?*

(f) *Jul.* Mackle Reisebeschr. durch Spanien und Engelland. (g) *Hornick.* 15. 38. (h) *Horn.* 15. 38. & 18. 14.

ad quemnam damnum ſpectet? Reſpondetur, ſi non præcurriſti ſubinde Curſorem, haud dici potes equo abuſus fuiſſe. Nam feſtinans ad modum & exemplum Curſoris nihil facit contra legem conventionis, illiusque voluntatem: & pertinet huc *l. 5. ſ. 7. ff. Commod. Plane ſi equum ſic commodavi, ut ad bellum duceres, meum erit periculum;* & cætera. Aliud vero eſt, ſi culpa intervenerit; ſi præcurrens ductorem tuum, in perniciem equum dederis. Quid igitur? Moris eſt, ut tardiorem Curſoris equum admonere flagello liceat. Utrum eo jure utens & tunc præſtare caſum debes? Ita ſane videtur: quia non cucurriſti ad modum atque exemplum ducis, & hujus equum pari expoſuiſti periculo. Quoniam tamen & quamdiu uſus fuiſti conceſſo jure, nihil contradicente Curſore, injuriam feciſſe non crederis. *l. 55. de J. R. l. 13. §. 1. de Inj.* Contrarium dicendum, ſi monente hoc de periculo, tamen ultra modum inſtigaveris.

Quid ſi equus ſuccumbat?

XII. Jam Romanorum equos cum noſtratibus conferamus, & quousque privilegiis communibus gaudeant. Primum equi Curſores bene alendi ſunt. Cujus rationem exponit Theodoricus apud Caſſiodorum *5. Var. 5 Et ideo,* inquit, *veluti neceſſariæ rei major adbibenda eſt cautela: qui ad continuos curſus conſtituti ſunt, turpi macie non tabeſcant, jejuna tenuitas laboribus proventa ſuccumbat, & incipiat iter fieri moroſum, quod ad celeritatem conſtat eſſe inventum.* Porro ſævitia curſorum abſit, priſcis aut noſtris moribus haud ignota. Romani Imperatores olim equos publico curſui deſtinatos, non lignis vel fuſtibus; ſed *flagellis tantum agitari* juſſerunt. (i) In virgæ vero aut flagri cuſpide brevis infigi poterat aculeus, *quo pigreſcentes artus innocuo titillo admonerentur.* Atque hoc eo, quod fuſtis gravior eſt virga ſeu flagro: cum non ſemper modus in

Equi Curſorii bene alendi.

Mitius tractandi.

(i) *l. 2. C. Th. & l. 1. C. juſt. de C. P.*

in illius admonitione adhiberi, quin facile animal enecari queat. Cui nihil obſtat, quod in publicarum pœnarum inflictione *fuſtigatio* moderata, ξυλοκοπία, non æque gravis pœna, atque *flagellatio* habetur, ſive virgindemia. (k) Nam iſtam liberi, & quidem tenuiores homines; hanc ſervi tantum ſumebant: ideoque propter ignominiam gravior exiſtimabatur. Pro diverſitate autem reorum, varia pœna conſtituta, ſi qui contra leges in Curſuales equos ſævirent. *Promotus*, qui ad gradum aliquem jam erat evectus, publicoque fungebatur munere, plectebatur humilitate regredationis, *ex l. 2. C. Th. de C. P.* Eſt autem regredatio hæc καθαίρεσις, ſive ordine motio; vel eorum, qui aliqua in dignitate conſtituti ſunt, reprobatio & condemnatio. Origine verbum iſtud militare fuit, cumque de gradu ſuperiore ad inferiorem rejicerentur milites, *regradari* dicebantur. Poſtea ad Eccleſiaſticam diſciplinam tranſiit, *Cujacio* id notante ad Novellam XLII. περὶ τῆς καθαιρέσεως Ανθίμου, *de depoſitione Anthimi.* Apud *Cujacium* Index Reginæ habet: *de Epiſcopis regradatis.* (l) Promoto opponitur *Munifex*, qui gregarius miles erat, (m) & deprehenſus in delicto, deportabatur. (n) Non minus & hodie graviter puniuntur nimia ſævitia in equos peccantes. Ferdinandus III. Imperator publico edicto Curſores coërcuit, præcipiendo, daß ſie ſich alles Unfugs und Frevels, mit ſo übler Tractirung der Leute und Roſſe auf den Käyſerl. Poſten gäntzlich und bey Leibes-Straffe enthalten ſollen. Vide integrum Edictum apud *Ludovicum ab Hornick. cap. XVIII, 22.*

Differentia inter fuſtigationem & flagellationem.

Promotus regradabatur.

Regradatio.

Munifex deportabatur.

Hodiernum jus.

XIII. Tertio illud olim hodieque ſalubriter conſtitutum, ut ne equi nimium oneribus graventur. Sic rhe-

(k) *l. 10. 28. ff. de pœnis.* (l) *v. Guther. de Off. Dom. Aug. 3. 14. p. m. 637.* (m) *v. l. 18. ff. de V. S. ibique Gothofred.* (n) *d. l. 2. C. Th. ibique Gothofred. l. 2. C. Th. de falſis monetis.*

Equi non nimium onerandi.

rhedæ, seu carpento, vehiculoque mille pondo superponere, neque ultra licebat. *Carro* sexcenta: *Birotæ* ducenta tantum. *Veredo* seu equo triginta: de quo tamen videatur. *l. 47. C. Th. de C. P. Parhippo* seu *Avertario* centum librarum imponi fas erat (o) Ita enim *Theodoricus* apud Cassiodorum *5. Var. 5. Parhippis quin etiam non ultra, quam centum libras jubemus imponi. Nimis enim absurdum est, ut a quo celeritas exigitur, magnis ponderibus opprimatur.* Quæ ratio universim ad omnia publici Cursus genera vim suam porrigit. Subjicit deinde Theodoricus appositam similitudinem. *Navis ipsa onere gravata pigrescit. Carinæ, quæ labores non sentiunt, repletæ gravius moventur. Qui quadrupes facere possit, qui pressus nimietate succumbit?* Tandem quoque pœnam dictitat. *Si quis autem a modulo definito habere repertus, duarum unciarum damno feriatur.* Lege XII. *C. Just. de C. P.* Averta vetatur *sexaginta libras auri* transire, sub pœna confiscationis: exceptis auri *centenariis*, quæ necessarium esset ab hippocomis in solitis sacculis reportari. *Centenaria* Suidas putat nomismatum quantitatem esse. Κεντηνάριον, νομισμάτων ποσότης. Hinc *Alciatus* ad indicatam legem intelligenda arbitratur ornamenta *in modum nomismatis*, quæ pectoribus equorum affiguntur: quæ alibi appellantur *cucumæ*. Qua tamen in re, inquit, dubito: cum non videam, qua ratione Suidas dictionem numeri generalem de auri solum quantitate intelligat. *Gothofredus* accipit pro ornamentis Veredorum, quæ *avertis* applicabantur. In eadem lege porro interdicitur, ne *sella equi cum fræno* sexaginta libras auri (nihil mirum recente adhuc invento tam inhabilem tantique ponderis sellam cum fræno fuisse) excedat. Si quis aliter fecerit, ejus sella (hinc colligamus non pertinuisse ad publicum) in frusta

Centenarium.

(o) *De his omnibus v. l. 8. 17. 28. 47. C. Th. de C. P.*

frusta cædatur ac comminuatur. Severioris adhuc constitutionis necessitatem *Ferdinando* Imperatori cursorum malitia imposuit. In laudato enim paulo ante edicto gravissime sic queritur: Welcher massen die hin und wider reitende Currier die Roß mit Auflegung schwerer Fell-Eisen fürsetzlich krumm, oder wol gar zu boden reiten, dadurch denn offtmals, aus Mangel der Roß, Unser selbst eigene gar nöthige Schreiben und Befehl, daran Uns, dem Heil. Röm. Reich, auch andern Unsern Erb-Königreichen viel gelegen, mercklich verhindert, und niemahlen zu rechter Zeit, noch an andere Orte gelieffert werden. Hinc imperat Cursoribus, daß sie die Rosse mit dem Fell-Eisen, so über 40. oder meistens theils 50. Pfund an Gewicht halten, nicht beschweren, insmassen dann auch die Post-Verwalter und Knechte solche fortzuführen nicht schuldig seyn sollen.

Equi ad alium usum non adhibendi.

XIV. Præter hæc animalia uni necessitati destinata, ad aliam usurpare olim nefas. Sic *Veredi*, sive equi Cursuales ad vehicularem cursum adhiberi non debebant. *l. 4. C. Th. de C. P.* Etiam prohibitum, ultra stationes equum ducere; condemnatione in quadruplum animalis pretium posita, *si quis vel pro una mutatione cursus Veredum superducendum;* id est, ultra ducendum *esse crediderit:* ut verba *l. 15. C. de C. P.* sonant. Julianus Imperator capitalem pœnam constituerat *l. 14. C. Th. d. t.* (p) Itidem & hic malitiam cursorum accusat Ferdinandus, daß sie zwo, drey oder mehr Posten ohne Abwechselung der Rosse rennen. Itaque hoc deinceps audentes ad se puniendos remitti jubet. Qua lege tamen haud tenentur a Principe subitis casibus missi: cum imminentis ex more periculi aversio & urgens necessitas, quin ipsius Principis tacita voluntas, ultra stationes procurrentibus veniam præstet.

Ultra stationes non ducendi.

(p) *v. Goth. ad l. 53. C. Th. de C. P.*

Cui itineri insistendum? XV. Ulterius etiam *l. 25. C. Th. l. 2. & 5. C. Just. de C. P.* vetitum ab itinere recto ac solito deviare, & secundum legem Theodosianam quidem, ad quingentos passus. Excipitur *l. 2. C. d. t.* Præfectus Prætorio, cui cursus publicus, & proficiscendi per eum licentia, *& ubi ratio exegerit*, præsto sit. Iterum Ferdinandus III indicato loco gravi pœnæ destinat sui tempotis cursores, **welche die Rosse mit grossen schweren Fell-Eisen belegen, damit Berg und Thal, wider den gewöhnlichen Post-Brauch, rennen.** De cætero hodie qua vehicula moris est, ut recto quidem, non tamen publico itineri Cursores insistere teneantur, sed commodiore via proficisci possint: quæ inde & **Post-Weg, Post-Strasse** appellatur. (q) Porro ab ar-*Equi ab arrestatione liberi sunt.* restationis vinculo equi Cursuales liberi sunt: exemplo eorum, qui commeatum & pecuniam ad exercitum vehunt, nec non militum, ad bellum euntium. (r) Ratio universalis: quod nimirum publice intersit Cursorem non in mora constitui. Quod extendendum etiam est ad veredos, quibus privati vehuntur: quoniam alias hi possent magno ex mora detrimento affici: qui tamen ea fiducia conduxerunt cursum, ut eo celerius, quo *tendunt*, perveniant. Sufficit etiam, equum ad cursum destinatum esse, & ad talem usum servari: licet hoc ipso tempore nemo illo utatur. Ne scilicet incidente subita necessitate *Et a vectigalibus.* Postam destitui equis contingat. A vectigalibus etiam Cursuales equos pronunciant liberos, non tantum in Imperio nostro; sed quoque in Gallia, & Italia, (s) Imperiales quidem per totum Imperium: Provinciales per territorium Status, a quo constituti sunt.

XVI. De Privilegiis ipsorum hæc dicta sunto. Jam & Cursores tangamus. Si igitur contingat casu ac infortunio

(q) *v. Hornick.* 18. 12. *&* 13. (r) *v. Hornick.* 18. 23. *&* 24. (s) *Hornick.* 18. 4.

Jus insiliendi proximum equum.

fortunio equum succumbere, proximum quemque insiliendi Cursor potestatem habet. Nam privata utilitas publicæ merito cedit. Theodosius & Valentinianus Imperatores *in omnibus causis cupiunt observari, ut generaliter si quid contra utilitatem publicam in quolibet negotio proferatur, non valeat.* (t) Quantum etiam publicæ utilitatis respectu summæ liceat potestati in bona privatorum, qui obligati sunt, ut promoveant pro virili publica commoda, eruditi pridem docuerunt. (u) *Persarum* Cursoribus quondam fas erat, cujusvis equos vel naves, aut ipsos etiam homines rapere ad Cursum. Hinc cum Persarum cursores *Angari* dicerentur, postmodum ἀγγαρέυεσθαι idem significavit, atque τὸ εἰ φορτηγίαν, καὶ τοιάυτην τινὰ ὑπηρεσίαν ἄγεσθαι, adduci & compelli per vim ad bajulationem atque aliquod hujusmodi violentum ministerium. Ἄγγαρος etiam *Hesychio* & *Suidæ* est ἐργάτης, ὑπηρέτης, ἀχθοφόρος. De quibus ipsi ulterius videri possunt, juxtaque *Magnif. Schilt. de C. P. 1, 3.* Turcarum quoque *Ulacidis*, ut Laonicus Chalcondylas vocat, eadem licentia data. Sic enim *lib. 9. Histor. Gent. Turc.* scribit: (x) *Si forte eques occurrit, eum dejicit, ipse equum conscendit: iterumque si alius, idem facit, & defessum equum ei tradit.* Olim etiam Romanis Cursoribus hoc indultum fuisse, ex lege Constantini M. *l. 1. C. Th. de C. P.* quidam colligunt: qua aratorii boves ad cursum publicum abstrahi vetantur. Et quidem summa ex ratione: ne scilicet agrorum cura interturbetur. Unde dignam judicavit Theodosius Imperator, quam in singulare æquitatis exemplum, tituli de Cursu Publico principem faceret. Ut vero exceptio regulam firmat in casibus non exceptis: ita hinc ex indicata lege concludunt, cæteros boves non aratorios abstrahere

Apud Persas.

Apud Turcas.

(t) *l. 4. C. de Nav. non excus.* (u) *De Cursoribus v. Hornick.* 18. 17.
(x) *add. Lipsius cent. sing. Epist.* 59.

here licuisse. Quæ utcunque sint, nunquam tamen privato ausu; verum publica fieri auctoritate: nec temere frequentari; sed urgente necessitate permitti demum debebat. Præterea æquitatis non est, gratis quemquam ad onus hoc adstringi; sed potius aut compensanda interversa utilitas mercede data, aut æstimationem equi præstare oportet. Porro adjiciamus de Cursoribus, olim *Hippocomos* inviolabiles fuisse, ut spoliari sago non deberent, *l. 37, & 50. C. Th. & l. 13. C. Just. de Curs. Publ. Sagum* vero erat vestis militaris, quam ἐφεστρίδα Græci vocant. De qua voce *Hesychius* & *Suidas* adeundi. Non autem absimile *Alciato ad l. 13. C. de C. P.* videtur ab eo fuisse, quod vernacula Italorum simplicitas *Sajum* vocat. Nostris moribus itidem Cursoribus tributum: ut ne a quoquam violentur. Quod nemini non manifestum est. Nititur vero jus istud magna ratione: ut ne in publicam utilitatem quidquam peccetur. Inde adeo gravioribus pœnis, & in exemplum afficiuntur atque affici debent, qui contra publicum cursorem quidquam fuerint ausi. Satis de Cursu publico: nunc de *Angariis* pauca annectamus.

Hippocomi inviolabiles.

XVII. Vocabulum hoc de quovis cursu frequentatum fuisse, alibi monuimus. Quanquam vero etiam velocem signabat; magis tamen ad vehicularem eumque gravem ac tardigradum, qui *Clabularis* quoque dictus. (y) Jureconsulti & usus loquendi restrinxerunt. (z) De cætero sequentia tempora ad *operas rusticorum* accommodarunt: ad quales præstationes olim spectabat *productio*, sive evocatio *equorum*, Romanis consueta. Erat vero productio illa, sive cura, ut equi præstarentur,

Angariæ.

Operæ rusticæ.

Productio equorum.

(y) *l. 62. C. Th. l. 22. C. Just. de C. P.* (z) *v. Magnif. Schilt. de Curs. Publ. 1. 2. & 3. 5. Gutber. de Off. Aug. Dom. 3. 14. qui multa habet de ipso vocabulo.*

rentur, personale munus, & locum habebat, *si quæ res pervehendæ, sive persequendæ essent, vel pecuniæ fiscales, sive annona, vel vestis.* (a) Producebantur equi; id est, evocabantur, quoties & prout necessitas postulabat, secundum seriem ac numerum. (b) Et præstabantur variis casibus: ad quos pertinet *Bastagæ solicitudo. Bastagæ sunt onera*, *Bastaga.* teste Hesychio. βαςαγὴ, βάρος, quod & βάςαγμα a βαςάζειν, *portare*, *vehere*, & *onus bajulare.* Hinc *Bastagarii*, qui serviebant vecturæ rerum ad sacrum ærarium pertinentium, quam propriis jumentis facere debebant, excepto primum *decimo*, (c) deinde *quinto* animali, quod pro reparatione præbebatur. (d)

XVIII. Nostris temporibus frequentissimæ sunt *Distinctio* operæ rusticorum, quarum aliæ corpore ac manu fiunt, *operarum.* aliæ animantibus ac jumentis, mit dem Zug-Vieh, Pferden und Ochsen: unde Pferde-Frohnen, Fuhren, quæ pro diversitate objectorum in diversas species dispescuntur. Hinc Pflug-Dienste, Wagen-Dienste, Bau-Fuhren, Wildprets-Fuhren, Holtz-Fuhren. Qui operas tales præstant, appellantur Anspanner, Pferdener, Hüffner. Regulariter autem vehiculis rusticorum simul præstantur: rarius tantum equi, aut pro singulis hisce bini boves, & tum *Pro singulis equis bini boves præstandi.* præcipue conferuntur, quando miles vel comitatus Principis transvehendus est. Germanice vocamus vorspannen. (e) Solent vero ab illis solum exigi, qui tantum a- *A quibus equi exigantur.* grorum possident, ut equos vel boves aratorios, Zug-Vieh, Pferd und Ochsen, alere possint. (f) De operis ruricalibus, von Pflug-Diensten, speciatim notandum, ad *Pflug-Dienste.* illas fere pertinere frumenta, ligna, vina, & si quæ alia dominis proveniunt, in ædes domini convehenda; agros

(*a*) *l.* 18. §. 3. & 4. *ff. de Muner. & honor.* (*b*) *v. Magnif. Schilter. de C. P.* 3. 1. (*c*) *l.* 4. *C. Th. de Murileg.* (*d*) *l.* 4. *C. de Murileg. Guther. de Off. Dom. Aug.* 3. 22. (*e*) *Magnif. Schilter. de Curs. Publ.* 3. 6. (*f*) *Besold. Thesaur. Pr. voc.* Frohnen.

fimo ſtercorandos, ſerendos, arandos, raſtro planandos, fœnum cæteraſque fruges convectandas. Retia quoque ad venandum, currus & bigæ, ad quamcunque vecturam rerum neceſſariarum huc referuntur. Atque hic etiam obſervatur, quod ſupra de Vaſallis monuimus, ut duo plerumque ruſtici conjuncti operas præſtent. Zweene halbe Bauren ſpannen gemeiniglich zuſammen, und ſtehen für einen. (g) Ex eo autem, quod ruſticus equos & jumenta poſſidet, neutiquam ſtatui debet, quaſi a domino ad operas iisdem præſtandas adigi queat: Daß die Häußler, Hinterſaſſen, wann ſie zufällig Pferde halten, zu den Pferde-Frohnen anzuſtrengen. Neque refert, quod reliqui ex conſuetudine forte vel ſtatuto propter fundos certos ac prædia, jumentis ſervire teneantur. Nam tunc obligatio ad poſſeſſores tantum iſtius generis prædiorum reſtringenda eſt. (h) De cætero tamen æquum fuerit, ut non temere illis, quos Hinterſaſſen appellamus, equorum uſus in fraudem der Hüffner concedatur: ne, verbi cauſa, aliis elocent ad vecturas & culturam agrorum, intercipientes commoda ad hos alias ex ſimili locatione reditura. Hinc Sereniſſimus Saxoniæ Elector conſtituit *in reſolut. Gravam. Provinc. de anno 1661. tit.* Von Juſtitien-Sachen §. Zum zwey und ſiebentzigſten. & §. weil zum ſieben und neuntzigſten. So begehren wir hiermit, wofern ſie deſſen (des Zug-Viehs halben) nicht befugt, daß ſie daſſelbe abſchaffen, oder doch nur zu ihrer Haußhaltung gebrauchen, ſich ſolcher Geſtalt an ihrer zuſtehenden Nahrung begnügen ſollen.

Halbe Bauren.

An equum poſſidens tenetur.

Quousque equorum uſus conceſſus den Hinterſaſſen?

L. 1. C. Ne ruſt. ad ull. obſ.

XIX. Quamvis autem *l. 1. C. Ne ruſtic. ad ull. obſeq. devoc.* conſtituatur, ne quis ex ruſticana plebe præter capitationem & annonam congruam ad ullum aliud obſequium devocetur, neque a rationali mularum fiſcalium vel

(g) *Beſold. Theſaur. Pract. voc.* Pflug-Dienſte. (h) *Dn. Richter. deciſ. 98. n. 19.*

vel *equorum* ministerium subire cogatur: in terris tamen Saxonicis consuetudine, & in Electoratu expressa sanctione introductum est, ut rustici ad operas tum in genere, tum in specie ad convectionem materiæ, exstruendis ædificiis necessariæ, adstringantur; adeo, ut aliunde etiam ligna, lapides, aliamque materiam convehere teneantur, si in loco exstruendi ædificii habere nequeant. De quibus videatur *Ordin. Provinc. de anno 1555.* von Bau-Fuhren. §. Demnach setzen *Berlich. 2. Concl. 65. 2. Brunnem. ad d. l. 1. C. Ne rust. ad ull. Carpz. p. 2. c. 52. def. 5.* Et hæc obligatio extenditur ad villas, granaria, stabula atque id genus ædificia, quæ ad feudum integrum, habitationem puta, eoque pertinentia spectant. Tamdiu vero jura hæc locum habent, quamdiu speciali consuetudine, transactionibus & pactis, decretis judicium ac rebus judicatis exemptio vel omnino vel a quibusdam non parata est. Videantur *Decis. Sax. 33. ibique Philippi obs. 1. Carpz. p. 2. c. 52. def. 1.* Quibus etiam hoc additur, rusticos ad certas operas, verbi causa, ad convehendam ædificii futuri materiam adstrictos, non posse cogi, ut lapides publicarum viarum, ligna canalium causa convectent, vel ex dirutis ædificiis avehant congestam colluviem: daß sie Pflaster-Steine, Holtz zu Wasser-Röhren zuführen, oder alten Schutt wegführen. Nam odiosa semper restringenda sunt. (i) Hæc de operis rusticorum, quatenus equis præcipue & jumentis fiunt. (k)

De convehenda materia ad ædificationem.

Operæ restrictæ.

CAPUT III.

VARIA CIRCA EQVOS JURA, ET INTER PRIVATOS CUMPRIMIS.

G 2 Post-

(i) *Berlich. 2. concl. 61. n. 7.* (k) *In universum de Angariis consuli potest Magnifici Domini Præsidis, publici privatique Juris acutissimi Rimatoris, Patroni nostri æternum deveneranti plane aureus Commentarius Practicus in jus Feudale Exerc. 14. p. 382. add. Besold. Thesaur. Pract. d. l.*

POstquam copiose de Militaribus & Cursoriis equis commentati sumus, non intempestivum nobis videtur, si pauca & varia jura, quæ ad certum referri caput nequeunt, hic colligamus, deinceps ad contractus mentem calamumque conversuri. Primum igitur ex *Aurea Bulla cap. 27.* notemus, *peractis per principes Electores seculares officiis*, Imperatori vel Regi Romano, quoties *solennes curas suas celebraverit*, exhibendis; *Equum Marchionis Brandeburgensis* Sub-Camerario *de Falckenstein* in donum concedi. Equum *Palatini* Magistro Coquinæ *de Nortenberg*: Equum *Regis Bohemiæ* Vicepincernæ *de Limpurg*: Equum *Ducis Saxoniæ* Vicemareschallo *de Pappenheim*. Quod si ipsi præsentes non fuerint, *Imperialis vel Regalis Curiæ quotidiani ministri, vice absentium*, & *cui* quisque *in vocabulo seu officio communicat, sicut gerit officium, sic tollit & fructum*. Notabili exemplo hoc illustravit *Thuanus l. 31. Hist.* (l) ad annum 1562. de inauguratione Ferdinandi I. Imperatoris ita narrans. *In curiam ubi venere, Cæsar & Rex ad mensam omnibus aliis septem gradibus editiorem consident, VII. Viris ad munia sua juxta Bullæ Aureæ præscriptum obeunda, statim digressis. Et Brandeburgicus quidem, qui Pocillatoris munere fungitur, equum generosum ad id paratum ascendit, & ad mensam medio in foro stratam properans auream inde pelvim & mappam accipit, easque in curiam rediens Cæsari ac Regi, ut manus lavent & abstergant, administrat; post id pelvi & mappa & equo Comiti Zollerano ex jure vetusto cedentibus. Dein Saxo, qui Imperii Ensiferum seu tribunum equitum agit, in equum itidem insiliens in acervum avenaceum juxta curiam effusum citissime fertur. Atque inde modium argenteum implet, subinde modio & equo Friderico Pappenheimio (Zollerani Legato) cedente, avena autem plebis direptioni concessa. Ultimus Palatinus, magnus Dapifer ad coquinam extra curiam propter Fran-*

Equi Electorum, quibus post inaugurationem Imp. cedant.

Exemplum.

(l) p. m. 645.

Franciscanorum ædem constructam in equo expeditus tendit, indeque assumptis ferculis in curiam citato gradu redit, ibique relicto equo fercula ad mensam Cæsaris, Saxone magnum bacillum præferente, defert. Palatini equus una cum argenteis, quibus fercula gestabantur, patinis jure quodam peculiari Jac. Seldeneckio Imperii Archimagiro cedit. Ad hunc Thuani locum observari debet, verba: *Zollerani Legato:* delenda esse. Nam Pappenheimius Saxonis Legatus est, sive inferior Mareschallus Imperii hereditarius: Zolleranus Brandenburgici Electoris, & *Archicamerarii*, non Pocillatoris Legatus, sive inferior Imperii Camerarius hereditarius. Porro monendum, Jacobum Seldeneckium Comitem, non fuisse Archidapiferum; sed Palatini Archimagiri Legatum, vel inferiorem Dapiferum hereditarium.

II. Cum a Maximiliano Imperatore in Comitiis Augustanis, anno 1500. Regimentum, der Reichs-Regiments-Rath instituerentur, inter alia sic quoque *in Ordinatione Regimenti* §. Und nach dem billig. dispositum fuit. Auch sollen die gemeldte (20) Personen, und ihrer ieder mit einer ziemlichen Anzahl Pferd und Knechten, Uns und dem Heil. Reich zu Ehr, und mehrer Ansehung, gerüst seyn, nemlich ein Graf oder Herr sechs Pferd, ein Prälat, Edelmann, Doctor, oder Licentiat, auch iegliche, so von der Städte wegen da sind, vier gerüster Pferd. Sed hoc Regimentum Caroli V. tempore jam in desuetudinem abiit. (m) De Consiliariis Imperii sub Maximiliano constitutis, *in Recessu de anno 1512. §. 10.* Und damit dieselbe. sic decretum. Und damit dieselbe acht Räthe, Uns von den Ständen des Reichs, wie obgemeldt, zugeordnet, ihres Raths und Dienst desto baß zukommen, sich auch Uns und dem Heil. Reich desto ehrlicher erhalten mögen, so soll man ihrer ieglichem ieden Monat auf ieglich Pferd geben zwölff Gülden Reinisch, und für seine Person ieglichen Monat doppelt Sold, für Reisigen Schaden,

Regimentum.

Consil. Imp.

(m) *v. Rümel. ad A. B. 2. 3. 23. Limn. de J. P.* 9. 4. 27. *& seqq.*

den, und alle Sachen. Sequenti §. subjungitur: Und soll nemlich derselben Räth einer, so ein Graf und Herr ist, halten acht oder neun Pferd, welcher aber ein Prälat, Ritter, Doctor, Edel- oder Statsmann wäre, der soll haben fünff oder sechs Pferde, und nicht darunter, und ein ieder mit seiner Anzahl wohl gerüst seyn.

Equorum ornamenta.

III. Sumptuarias leges, verissime in illis reponendas, quæ semper feruntur, semper negliguntur, Imperatores nostri ad equos etiam, & horum quidem ornamenta, porrigi voluere. Itaque in Constitutionibus Imperii, quibus titulus, Reformation guter Policey, Policey-Ordnung *de anno 1530. tit. 17. §. 1. de anno 1548. tit. 14. §. 1. de anno 1577. tit. 14. §. 1.* modus certus impositus. In quarum postrema hæc leguntur: Nach dem auch ein überflüssiger Unkosten in Pferd-Zeugen befunden, so soll hinfürter keiniger Zeuge über drey fl. werth, ausserhalb was zu der Wehr dienet, auch Meßing und gelbe Zeuge führen, er sey dann Ritter, auch kein Graf, Herr, Ritter oder Knecht keine Zeuge von Sammet, seiden Tüchern, noch etwas von Gold oder Silber daran führen, allein hierinnen Churfürsten, Fürsten, und Fürstmäßigen ausgenommen, welche ihren Churfürstl. und Fürstl. Stand nach für sich, ihre Leib-Pferd und Diener, so sie in ihren Marställen haben, in solchen Zeugen sich halten mögen. Nescio an etiam adnotandum sit, a Carolo V Imperatore *in Recessu Spirensi de anno 1544. §. 43.* equos magnatum, nobiliorum ac militum exemptos fuisse in universali Collatione Imperii, in der gemeinen Anlage zur Defension-Hülffe. Daß hoher Stands-Personen, deren von Adel und Reisigen Knechten ihr Pferd, dergleichen auch andere ihr Wehr und Harnisch, auch Geschütz, Pulver und andere darzu gehörige Munition, nicht angeschlagen solle werden. Illud notissimum omnino, equitem iter facientem in alieno agro impune equum pascere, modo propter viam id fiat, non in medio agro, nec citra necessitatem. Quod

Equi exempti in der gemeinen Anlage zur Defension-Hülffe.

Equitis iter facientis privilegium.

Quod moribus ita receptum, & in Feudali jure diserte indultum est. *Quicunque*, ait Fridericus primus Imperator, non tertius, uti Hotomannus contra Cujacium censet, (n) *per terram transiens, equum suum pabulare voluerit, quanto propinquius secundum viam stans in loco amplecti potuerit: ad refectionem & reparationem equi sui, impune ipsi equo porrigat. Licitum sit etiam ipsi uti herba & viridi sylva, & sine vastatione aliqua quilibet utatur pro sua commoditate & usu necessario.* (o) De jure postliminii dubitatur, utrum in equis etiam locum habeat? Sane mobilia postliminio non redire; sed in præda esse, pro communi rejula jactitant. *Equus* tamen, inquit Marcellus, *l. 2. de Capt. & post. aut equa fræni patiens recipitur postliminio: nam sine culpa equitis proripere se potuerunt.* Quæcunque igitur culpa, & sic turpiter amittuntur, illa postliminio non redeunt. Cur autem *equus* eximatur, hanc rationem adsignat Grotius *de J. B. & P. 3, 9, 14.* quod in bello usum habeat. Talia vero placuisse gentibus olim excipere, ut recuperandi spes ad ea comparanda alacriores homines redderet. Quod in Occidente etiam, & sub Gothis *Boëthii* adhuc tempore usitatum fuisse observat. Cæterum posterior ætas id sustulit, nulla amplius in mobilibus rebus differentia remanente: uti *Grotius* docet *d. l.*

Jus Postliminii in equo.

IV. Non intempestivum aut prorsus inutile fuerit hoc loco mentionem fecisse Constitutionum Valentiniani senioris, & Honorii, Imperatorum, quos Theodosius in Codice suo sub titulum: *Quibus equorum usus concessus est, aut denegatus*, collegit. In iis per Italiæ Urbicarias, & Italiæ in specie sic dictæ regiones, possessoribus omnibus atque Colonis *equi habendi vel equæ copia*, & eorundem *utendorum facultas* adimitur. Hocque ea ex ratione: ut *Urbicariæ regiones ab omni crimine* atque *assiduis aba-*

Equorum usus interdictus in Italia ob latrocinia & abigeatus.

(n) *v. Goth. ad init. 2. F. 27.* (o) *add. Gothofred.*

abactorum rapinis, quibus inquietabantur, quietæ essent, & *omnes latronum conatus conquiescerent*. Jam tum enim temporis Suburbanitas a latronibus & abigeis infestabatur: ut apparet ex *C. Th. de his, qui latrones vel aliis criminibus reos occultaverint:* nec non ex sequentibus duobus titulis. Præter indolem vero gentis, ad abigeatum præcipue incendebant tot armenta, quibus illæ regiones abundabant. (p) Et latrociniis quidem atque abacturis patrandis opportuni maxime equi erant, tum ad irruptiones faciendas, tum ut prædam seque ipsos celerius prædones subducerent. Nemini vero equorum usus interdicebatur, præterquam privatis, possessoribus & colonis: illis cumprimis, qui indicatorum criminum præ cæteris suspecti erant. Quales ovium ac pecudum Pastores, sive ex re privata Principis, sive aliorum essent: item Suarii, actores & procuratores Senatorum. *l. 2.& 3. C. Th. Quib. eq. usus concess.* *Istis* autem *in locis equo vehi, his tantummodo licebat, quos ab hujusmodi sceleris suspicione locus aut dignitas vindicaverat*, uti Valentinianus Imperator constituit *in l. 3. C. Th. d. t.* Excipiebantur itaque *Senatores, Honorati*, ii, qui Provincias administrabant, *Veterani & Decuriones*.

Senatores. Honorati. Veterani. Decuriones.

Pastores.

V. *Pastoribus* autem cumprimis *habendi equini pecoris licentiam denegavit*, quod suopte ingenio (utpote a consuetudine humana magis alieni, totosque dies & annos inter pecora, in agris atque sylvis transigentes) ad facinora isthæc proniores essent; & in regionibus illis magno viverent numero, nec minore infamia latrocinii & abigeatus laborarent. (q) Hinc Provinciales quoque ob corruptos illorum mores & sceleratam vitam vetabantur, ne filios suos pastoribus nutriendos committerent. Quod edocet titulus *C. Th. Ne Pastoribus dentur filii*

(p) *v. Goth. ad l. 1. C. Quib. equor. us. conc.* (q) *l. 2. & ult. C. Th. d. t.*

filii nutriendi. (r) Prudentissimo utique consilio, ne sub magistris tam pravis detorquerentur teneræ indoles, & elementa quasi flagitiorum statim haurirent. *Suariis* postea per *l. 3. C. Th. Quib. equor. usus concess.* equorum usus indultus fuit, severissima tamen conditione: *Ut* scilicet *equis quidem uterentur, verum ad periculum suum pertinere cognoscerent, si quid in his regionibus sceleris esset admissum.* Quod quidem privilegium plus odii, quam gratiæ habet: cum ad custodiam aliorum hoc pacto adstringantur suarii, qui tamen in officiis occupati, non poterant prohibendis sceleribus animum attendere. Itaque *Gothofredus* non immerito accusare iniquitatis videtur: nisi eo confugias, ut dicas, idcirco id fecisse Imperatorem; quo magis ipsi continerentur in officio, & formidine supplicii, ne quisquam id patraret, enixius & omni sollicitudine præcaverent. Quod præstari a suariis eo facilius poterat, quo plures haud dubie & per regiones istas dissipati, mature animadvertere insidias, ac sociorum ope infringere impetum, præterea equorum subsidio fugientes persequi valebant. Neque id plane absonum aut insuetum est. Nostro jam sæculo Parisiis, si recte memini, custodes per præcipuas platearum ad prohibenda facinora sunt constituti, eaque lege, ut periculo ipsorum stet ac damno, si delinquentem elabi & aufugere passi fuerint. At memoratis suariis in eadem lege Valentinianus Imperator tam tristem conditionem remisit, tantumque iis locis interdixit, quæ abactoribus aut alio latrociniorum genere famosa erant. Nempe tantum occasionem patrandorum scelerum adimere voluit: ut tum demum tenerentur, si per interdicta loca vecti fuissent. Jam porro *Procuratores & actores Senatorum* sub prohibitione ista comprehendebantur. Qui cum a Senatoribus Romanorum, in Campania cumprimis, ubi tunc plerique suas villas ac

Suarii.

Procuratores, actores Senatorum.

(r) *v. Gothofred. ad d. t.*

prætoria voluptatis cauſa habebant, adminiſtrationi rerum præfecti eſſent, obtentu Senatorii nominis nimium ſæpe ſibi permittebant. Quemadmodum paſtores etiam rei privatæ Principis, prætextu nominis principalis. Itaque & illorum fama, jamdudum propter abacturas laborabat, per Campaniam maxime. Cæterum quo profectu in publicum Imperatores equorum uſum interdixerint, non difficilis erit conjecturæ. Eripuere quidem medium celerius patrandorum flagitiorum; ſed non omnes hoc ipſo vias occluſere. Quantum hodie adhuc iſta hominum peſtis in Italia, nullis coërcenda conſiliis ac pœnis, graſſetur, toti orbi notum eſt. Exemplum notatu digniſſimum in *Ratzevilio* Principe olim dederunt, & manifeſtarunt ſimul quanto agmine, quantisque conſiliis latrocinia ac prædam generis humani exerceant. Illud tamen multum rabiem illorum, & longe efficacius, quam Romanorum indicatæ leges hodie compeſcuit, quod impunitate & mercede ipſis prædonibus, ſi prodant cæteros, vivosque aut jugulatos exhibeant propoſita, non amplius tanta multitudine & tam ſecure peccent, poſtquam intra ipſa quaſi viſcera hoſtem & *perfidiam* ſociorum metuere habent.

ἐπίκρισις politica de Equorum prohibitione.

VI. Tranſimus nunc ad contractum emtionis venditionis, illic conſideraturi, ecquid ſpeciatim de equis conſtitutum reperiatur. Hoc primum & in univerſum notari debet, rationem juſtitiæ depoſcere, ut inter rem & pretium æqualitas obſervetur, neque plus pecuniæ venditor accipiat, quam quanti res vendita vere æſtimari poteſt. Quod ſi leviuſcule alteruter; quin etiam ad dimidium usque defraudetur, legislatores id damnum inſuper habent, propter indolem commerciorum nimiam adcurationem reſpuentium. Hinc ſtatim apparet, contractum ea conditione initum, ut pro primo ſoleari clavo emtor thalerum, pro altero duos, pro tertio quatuor, & ſic porro du-

ro duplicatum ſemper pretium ad clavum usque trigeſimum ſecundum ſolvat; iniquiſſimum eſſe, nec ullo jure approbari. Adeoque emtorem ne ad illud quidem, quod intereſt, obligari conſtat, & reſponſo confirmat Forſter. *de Dominio 8. 153.* Porro illud etiam omni contractui commune eſt, ne aliud pro alio venditetur aut obtrudatur: cum omnis conventio ſit ac eſſe debeat conſenſus in idem placitum. Hinc igitur promanat, tanquam ex fonte, ut venditor morbidum ac vitioſum equum pro ſano integroque vendens, teneatur ad reſtitutionem damni, vel diſſolutione totius contractus, vel præſtatione ejus quod intereſt. Quoniam porro a bono & honeſto viro abeſſe dolum oportet: hinc naturaliter juſtum ſtatuitur, ne venditor emtorem celet vitia; ſed juxta Edictum Ædilium (s) *palam recte dicat, quid in quoque eorum morbi vitiique ſit.* Quod ſi vel ſimpliciter vendiderit, nihil de equo aut affirmando aut negando; vel uſus fuerit hac formula: **er verkauffe das Pferd geſund aufrichtig, ohne einigen Pferds-Mangel,** *arg. l. 1. §. 1. ff. de act. emt. vend. (add. Rövenſtrunck. Medit. Ædil. 1. 3. 38.)* ad omne damnum tenetur. Quæ etiam in aliis jumentis obtinent.

De equo vendito juxta calculationem eines Collation-Handels, ex regula proportionis per duplum facta:

Venditoris obligatio.

VII. De conſuetudine, qua equus in publico mercatu (**auf freyem Jahr-Marckte**) venditus traditusque, reddi, eoque nomine contra venditorem agi nequit; tametſi maxime deceptus ſit emptor; prolixe *Rövenſtrunck, Med. Ædilit. 1, 2, 33.* diſputat, ut divino juri ac publicæ utilitati repugnare oſtendat. Primum autem obſervandum eſt, generali deciſione controverſiam componi poſſe, de quacunque re vendita tandem tractetur. Deinde non illud quæritur, utrum contractus ejusmodi cum naturali æquitate & utilitate publica conveniat; ſed utrum non peccet Magiſtratus denegando actionem emptori, aut

De conſuetudine, quæ ob equum in mercatu publico venditum, actio decepto denegatur.

(s) *l. 38. pr. ff. de Ædil. edict.*

aut venditori etiam, læso? Quo loco iterum attendendum, aliud esse factum, & quasi rem bene gestam confirmare: aliud, detrahere saltem auxilium opemque suam implorandi. Istud nunquam Magistratus in negotiis divino juri contrariis licite facit: hoc omnino potest, si publica urgeat utilitas. Præsenti autem casu Magistratum facile excusabit cura ac studium prohibendarum litium, quæ innumeræ orirentur, si defraudato proclamare ad judicem liceret. Sæpenumero enim improbi etiam, quique vexandis hominibus nati ex aliorum incommodis sua sibi commoda, aut voluptatem minimum, quærunt, rapto levissima de causa ad judicem adversario, turbaturi commercia essent. At enim vero publice interest, ne nundinarum tempore vendentium atque ementium invicem negotiis mora & turbæ interponantur. Non minus finitis nundinis refert, haud detineri diutius magna fortunarum jactura. Quæ tanto magis locum memoratæ consuetudine faciunt, quoties adhuc præsumi potest pro adversario, eum dolose nihil fecisse; & magis sua quisque simplicitate aut temerario impetu damnum sibi accersivit. Quod si autem de insigni malitia sive venditoris, sive emptoris, manifesto constat, ut nulla indigeat probatione, haud crediderim, tam negligentem fore quemquam Magistratum, quin auxilium desideranti sit impertiturus. Hæc ut pro consuetudine ista, & hoc loco copiosius diceremus, Rövenstrunckii contraria sententia effecit.

Morbi equorum.

VIII. Morborum, quibus equi tentantur, varia sunt genera, prolixe percensita a Rövenstrunckio *Medit. Ædilit. 1, 4, 23, & 2, 1, 28.* Quare nihil opus est, ut enumerandis illis tempus ac chartam conteramus. Ex his autem alia pariunt actionem redhibitoriam: quæ scilicet equum vel plane, vel maximam tamen partem efficiunt inutilem: alia actionem æstimatoriam, quoties equus

tantum

tantum vilior redditur. Illa indicato libro primo; hæc ſecundo enarrantur. Quantum ad redhibitoriam actionem, Jure Civili omnem dolum ac fraudem, quin etiam ſuſpicionem doli averſante, propter quosvis internos & non apparentes morbos ac vitia equorum conceditur. Quod quidem jus qui negligunt, niſi alia ratione iniquitatem expellant, excuſare ſe a doli ac fraudis patrocinio vix poſſunt, cenſente ita Meiero *in Coll. Arg. de Ædil. Edict. 17.* Cum Jure Civili faciunt Maſcardus *de Probat. vol. 1. concl. 236. n. 5.* Coler. *de Proceſſ. execut. 2, 1, 71.* Treutl. 2, *diſp. 2, 2.* Alii ob hæc quatuor tantum tribuunt redhibitoriam, ſi equus *furtivus*, *reſtitor*, *muſcoſus*, *ſuſpirioſus*. (t) Alii tum demum locum habere volunt, ſi ſit *Aſthmaticus*, *Suſpirioſus*, *Lunaticus*, *Serpigine* vel *Interdigine* infectus, quem morbum alias vermem appellant, qui ſi ad teſticulos usque proſerpat, incurabilis æſtimatur. Addunt *Gallus* introrſum manantes. (u) Jure Saxonico (x) venditor ex communi opinione de tribus vitiis redhibitoria tenetur: ſi equus ſit retrogradus, ſtettig; ſi cæcitate latente laboret, wanns Staarblind; ſi ſit ſcabioſus, Haarſchlechtig. Accedit vitium externum, ſi equus furtivus, von unrechter Ankunfft. Exiſtimant vero interpretes, redhibitoriam actionem non dari, niſi in quatuor iſtis vitiis, quæ ideo capitalia, Haupt-Mängel, vocantur. Sed inſpicienti ipſa verba, apparet tantum de caſu agi, quo dictum promiſſumve quid, quod non ſit præſtitum. Textus enim non loquitur de celatis vitiis; ſed de promiſſa bonitate equi, ſi nempe emtor ſtipulatur, equum ſanum tradi: ut tunc venditor promittens ſatis obligationi feciſſe credatur, ſi quatuor iſta præſtiterit. Latina verba ſunt hæc (y) *Vendat ſi unus equum alteri, ubi & guarandam*

Ob quosnam datur actio redhibitoria jure Civili?

Ex aliorum ſententia.

Jure Sax.

 pro-

(t) *Lud. Gilbauſen de arb. jud. c. 6. part. 1. §. 323.* (u) *Conrad. Hereſbacb. l. 3. de re ruſt. loc. de Equis. Rövenſtr. 1. 6. 24.* (x) Weichbild *art. 97.* (y) Weichbild *d. l.*

promiserit, guarendare in eo tenetur, quod non sit stativus, ita quod a loco tempore se offerente ire & transire nollet. Item quod apparens videre non sit cæcus. Item quod non sit arrestatus aut subtractus, sed sit liber. Item quod non sit asthmaticus, nec nauseaticus, seu rheumaticus. (z) Quid jure *Norico, Francofurtensi* & aliis obtineat, *vide apud Meierum in Colleg. Arg. de Ædilit. Edict. th. 17. & Rövenstrunck. 1. 6.* qui Meditationes suas Ædilitias ad equestre judicium præcipue direxit: quanquam maxima libri pars circa jura communia versatur. Ab eo alia plura petas, nobis prætermittenda. De *pignoratione* Equi ferocioris *vid. Dn. Richt. Decis. 5. 9.*

Jure Norico, Francofurt.

Pignoratio Equi ferocis.

De Equo conducto.

IX. Quæri de equo conducto solet, ad quemnam ejus damnum aut interitus spectet? Nihil vero opus videtur anxia dispositione, modo perpendamus regulam juris; quæ conductorem ad præstationem condemnat, omnium culpa sua lata & levi contingentium. Quæ igitur casu fortuito, neque dolo malo contigerunt, ad ea non tenetur. Jam si equus, si grex, si capræ aut mulæ, vel quævis tandem furto auferantur, si pereant vel reddantur deteriora; illud potissimum inspiciendum, cuinam onus probandi incumbat? Sane contra quemvis ad custodiam obligatum præsumptio est. (a) Itaque huic id saltem probandum venit, sese diligentiam & curam quam poterat maximam adhibuisse; sese custodiisse rem tuto salvoque loco; se non venisse contra legem conventionis, nec alio modo loco ac tempore, quam oportebat, usum fuisse; se suppeditasse alimenta, & alia id genus præstitisse, quæ boni ac frugi patrisfamilias munus complectitur. His consideratis, in facili decisio est, ad quemnam pertineat damnum non equi solum; sed cujus-

(z) *v. disp. 1. de Ædil. Edict. sub Præsid. Magnif. Dn. Strauib. habit. anno* 1671. (a) *Mascard. de probat. Conclus.* 830. 19. *Gothofred. ad l.* 9. §. 4. *Locat.*

cujusvis rei per vim, aut ex tutiſſima conſuetaque cuſtodia per furtum ablatæ. Item ſi tu flagello & calcaribus, neque hoc ultra modum; alius ligno, fuſte, lapide, animal incitaveritis. Si vel ſimpliciter intolerabili oppreſſeris onere; vel ad certum pondus locatum majore (exemplum *in l. 30. §. 2. ff. locat.*) ruperis: ſi non præbuiſti, quantum ſatis erat, cibariorum. Itaque ſpeciatim de equo nihil juris a Juſtiniano hac in re conſtitutum reperimus. Solent tamen etiam in legibus noſtris; ut dubium omne eximatur judici, vel parti conſulenti, exempli cauſa talia repeti ac inculcari. (b) Quod nonnulli Jureconſultorum nimis intemperanter ſæpe ſequuntur. De conducto equo expreſſe agit *Jus Lubecenſe 3. 8. 4.* ad quem locum videatur Mevius. Adde Gothofred. *ad l. 9. §. 4. ff. Locat. cond.* Ubi jam conſtat, a conductore commiſſam culpam, & damnum præſtandum eſſe; quousque tunc obligetur, videamus oportet. Ex antiquo quidem jure huc referendum, quod Valerius Maximus *8. 2. 4.* commemorat, in judicio quendam furti damnatum fuiſſe, *quod equo, cujus uſus illi usque Ariciam commodatus fuerat, ulteriore ejus mancipii clivo vectus eſſet.* Subjicit deinde notabile epiphonema. *Quid aliud hoc loci, quam verecundiam illius ſeculi laudemus, in quo tam minuti a pudore exceſſus puniebantur.* Addatur Symmachus *9. Epiſt. 69. & §. 6. Inſtit. de obl. quæ ex del. naſc.* Jure Saxonico *l. 3.* Landr. *art. 12.* cavetur, ſi quis ultra conſtitutos dies equum vel veſtimentum retinuerit, ac propterea accuſetur, ipſum ſtatim ad reſtitutionem, & ſi quidquam damni dederit, ad pretium ſeu æſtimationem obligari. Quod ſi equus conduci ſolitus eſt, isque retinetur ultra tempus locationis, quamdiu non repoſcitur a locatore, videtur eodem pretio denuo conductus: uti Dd. ad *§. 7. Inſtit. de obl. quæ ex del. naſc.* monent.

Jus Lubecenſe.

Jus antiquum.

X. Tan-

(*b*) *v. d. l. 9. §. 4. l. 30. §. 2. Locat.*

X. Tandem igitur in manibus terræ, lætique ad portum, tametsi non secundis ubique ventis, delati sumus. Quare cælesti Numini rite persolvamus gratias, utque emittendus jam publicam in lucem umbratilis labor bene mihi, bene ac feliciter aliis etiam vortat, religiose precemur. Spero autem promissi memorem me fuisse, ita tractione hac instituta, ut præcipue usum civilis vitæ propositi mei normam ac legem fecerim. Interspersi sane non pauca ex antiquo jure argumenti opportunitate & decoro allectus, ea tamen ubique cura, ut non vane usurpare *Gellii* verba, ex *Præfat. Noct. Attic.* & sic imponere scriptioni nostræ lætissimum finem liceat. *Quæ erunt autem in his commentariis paucula remotiora super augurio jure & Pontificio; non oportet ea defugere quasi aut cognitu non utilia, aut perceptu difficilia: non enim fecimus altos nimis & obscuros in his rebus quæstionum sinus: sed primitias quasdam & quasi libamenta ingenuarum artium dedimus: quæ hominem civiliter eruditum neque audisse unquam neque attigisse, si non inutile, at quidem certe indecorum est.*

SOLI DEO GLORIA.

COROLLARIA.

1. *Testamentum absque solennitate conditum obligat heredem, cui de voluntate testatoris constat, in conscientia.*
2. *Utrum testamentarius tutor locum habet in Electorum filiis impuberibus?*
3. *Patrem in judicium vocaturus non opus habet speciali veniæ impetratione: minime vero ex illa ratione, quod violenta abductio in Jus hodie locum non amplius habeat.*
4. *Origo Electorum incerta est: debetur autem consuetudini per Imperatores deinde confirmatæ.*
5. *In Feudis non succedunt Legitimati per rescriptum Principis.*
6. *Usuræ nec possunt omnino tolli ex republica, nec debent.*
7. *Neque iniquum & maxime illustribus familiis salutare est jus, fœminas a successione paterna, salvis tamen sufficientibus alimentis, excludens.*

)o(

X. Tandem igitur in manibus terræ, lætique ad portum, tametsi non secundis ubique ventis, delati sumus. Quare cælesti Numini rite persolvamus gratias, utque emittendus jam publicam in lucem umbratilis labor bene mihi, bene ac feliciter aliis etiam vortat, religiose precemur. Spero autem promissi memorem me fuisse, ita tractione hac instituta, ut præcipue usum civilis vitæ propositi mei normam ac legem fecerim. Interspersi sane non pauca ex antiquo jure argumenti opportunitate & decoro allectus, ea tamen ubique cura, ut non vane usurpare *Gellii* verba, ex *Præfat. Noct. Attic.* & sic imponere scriptioni nostræ lætissimum finem liceat. *Quæ erunt autem in his commentariis paucula remotiora super augurio jure & Pontificio; non oportet ea defugere quasi aut cognitu non utilia, aut perceptu difficilia: non enim fecimus altos nimis & obscuros in his rebus quæstionum sinus: sed primitias quasdam & quasi libamenta ingenuarum artium dedimus: quæ hominem civiliter eruditum neque audisse unquam neque attigisse, si non inutile, at quidem certe indecorum est.*

SOLI DEO GLORIA.

COROLLARIA.

1. *Testamentum absque solennitate conditum obligat heredem, cui de voluntate testatoris constat, in conscientia.*
2. *Utrum testamentarius tutor locum habet in Electorum filiis impuberibus?*
3. *Patrem in judicium vocaturus non opus habet speciali venia impetratione: minime vero ex illa ratione, quod violenta abductio in Jus hodie locum non amplius habeat.*
4. *Origo Electorum incerta est: debetur autem consuetudini per Imperatores deinde confirmatæ.*
5. *In Feudis non succedunt Legitimati per rescriptum Principis.*
6. *Usuræ nec possunt omnino tolli ex republica, nec debent.*
7. *Neque iniquum & maxime illustribus familiis salutare est jus, fœminas a successione paterna, salvis tamen sufficientibus alimentis, excludens.*

)o(

X. Tandem igitur in manibus terræ, lætique ad portum, tametsi non secundis ubique ventis, delati sumus. Quare cælesti Numini rite persolvamus gratias, utque emittendus jam publicam in lucem umbratilis labor bene mihi, bene ac feliciter aliis etiam vortat, religiose precemur. Spero autem promissi memorem me fuisse, ita tractione hac instituta, ut præcipue usum civilis vitæ propositi mei normam ac legem fecerim. Interspersi sane non pauca ex antiquo jure argumenti opportunitate & decoro allectus, ea tamen ubique cura, ut non vane usurpare *Gellii* verba, ex *Præfat. Noct. Attic.* & sic imponere scriptioni nostræ lætissimum finem liceat. *Quæ erunt autem in his commentariis paucula remotiora super augurio jure & Pontificio; non oportet ea defugere quasi aut cognitu non utilia, aut perceptu difficilia: non enim fecimus altos nimis & obscuros in his rebus quæstionum sinus: sed primitias quasdam & quasi libamenta ingenuarum artium dedimus: quæ hominem civiliter eruditum neque audisse unquam neque attigisse, si non inutile, at quidem certe indecorum est.*

SOLI DEO GLORIA.

COROLLARIA.

1. *Testamentum absque solennitate conditum obligat heredem, cui de voluntate testatoris constat, in conscientia.*
2. *Utrum testamentarius tutor locum habet in Electorum filiis impuberibus?*
3. *Patrem in judicium vocaturus non opus habet speciali venia impetratione: minime vero ex illa ratione, quod violenta abductio in Jus hodie locum non amplius habeat.*
4. *Origo Electorum incerta est: debetur autem consuetudini per Imperatores deinde confirmatæ.*
5. *In Feudis non succedunt Legitimati per rescriptum Principis.*
6. *Usuræ nec possunt omnino tolli ex republica, nec debent.*
7. *Neque iniquum & maxime illustribus familiis salutare est jus, fœminas a successione paterna, salvis tamen sufficientibus alimentis, excludens.*

)o(

X. Tandem igitur in manibus terræ, lætique ad portum, tametſi non ſecundis ubique ventis, delati ſumus. Quare cælesti Numini rite perſolvamus gratias, utque emittendus jam publicam in lucem umbratilis labor bene mihi, bene ac feliciter aliis etiam vortat, religioſe precemur. Spero autem promiſſi memorem me fuiſſe, ita tractione hac inſtituta, ut præcipue uſum civilis vitæ propoſiti mei normam ac legem fecerim. Interſperſi ſane non pauca ex antiquo jure argumenti opportunitate & decoro allectus, ea tamen ubique cura, ut non vane uſurpare *Gellii* verba, ex *Præfat. Noct. Attic.* & ſic imponere ſcriptioni noſtræ lætiſſimum finem liceat. *Quæ erunt autem in his commentariis paucula remotiora ſuper augurio jure & Pontificio; non oportet ea defugere quaſi aut cognitu non utilia, aut perceptu difficilia: non enim fecimus altos nimis & obſcuros in his rebus quæſtionum ſinus: ſed primitias quasdam & quaſi libamenta ingenuarum artium dedimus: quæ hominem civiliter eruditum neque audiſſe unquam neque attigiſſe, ſi non inutile, at quidem certe indecorum eſt.*

SOLI DEO GLORIA.

COROLLARIA.

1. *Teſtamentum absque ſolennitate conditum obligat heredem, cui de voluntate teſtatoris conſtat, in conſcientia.*
2. *Utrum teſtamentarius tutor locum habet in Electorum filiis impuberibus?*
3. *Patrem in judicium vocaturus non opus habet ſpeciali venia impetratione: minime vero ex illa ratione, quod violenta abductio in Jus hodie locum non amplius habeat.*
4. *Origo Electorum incerta eſt: debetur autem conſuetudini per Imperatores deinde confirmatæ.*
5. *In Feudis non ſuccedunt Legitimati per reſcriptum Principis.*
6. *Uſuræ nec poſſunt omnino tolli ex republica, nec debent.*
7. *Neque iniquum & maxime illuſtribus familiis ſalutare eſt jus, fœminas a ſucceſſione paterna, ſalvis tamen ſufficientibus alimentis, excludens.*